



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ
Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...**

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Lib. XI. Obedientiam propugna[n]s.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

LIBER VNDECIMVS,

Obedientiam propugnans.

Perseueraturum Christi militem, beneuole lector, praesidiis quibusdam, quasi armis, atque necessario comite, superioribus libris instruere sum conatus: restat ut impressionum fraudumque hostilium vim, quomodo elidi possit, ostendam. Ab obedientia caepi, quae in vita Religiosa, & ab alieno nutu pendente, primas obtinet, cuncta moderatur, perque omnes virtutum omnium, & munitiorum functiones peruagatur. Sed nihil minus quam de eius natura & proprietatibus disputo, id vnum specto, ut praecipua quae in eius exercitio minari, & molestiam creare putarentur, radicitus euellam, & nihil inde iusti timoris imminere demonstrum. Quod ipsum & in aliis, quae perseueraturum impugnant, & vulgo minus explicatè dicuntur, perlibenter si suppeteret otium, elaborarem. Quid faciam? eorum numero non sum, qui multa & simul possunt: secessum & vacuam curis mentem, scripturus postulo. Si tamen, quae iam scripsi, & specimen aliorum praebere possunt, tibi grata erunt, diuinæque gloriae si interuenient, spero fore, ut qui dedit incipere, occasionem perficiendi donet: quam si breui obuenturam credidisset, sustinuissem utique, atque interim haec ipsa diligentius eliminarem donec simul omnia prodirent. at cum admodum sit incertum, consultis & probantibus viris grauibus, id quod certius erat elegi, nempe ut saltem tentarem, an hinc aliqua ad alios utilitas, & ad diuinam gloriam accessio futura videretur. Vtere igitur & fruere ut libet.

CAPVT I.

Quae sint quae obedienti plus negotij facessant.

ET quidem, ut ne fictè dissimulantesque videamur acturi, sed bonitati causae veritati que praesidamus; conferamus in pauca, primoque statim in aditu recensamus, quae sint illa, quae cum obedientia maximè pugnare videantur: nec enim dissimulandum est, esse nonnulla obedientiae inimica, quae humanorum ingeniorum vel peruersitati, vel corruptelae sic penitus infedere, ut vix ac ne vix quidem, nisi per ampla Dei gratia, multoque sudore nostro, funditus euelli queant. Ea igitur enumeramus, ut constet in quos hostes depraecari conueniat, sitque haec prima recensio, speciosis quidem illis, at perniciosis admodum sophismatis,

phismatis, instar tetti, stigmatis, & nigri thera, quo prima illorum frons inusta turpetur, & latentis fraudis indicium præferat.

Ergo, impatiens freni, pernicaxque natura obmurmurat, iudicii que sui nimium retinens, & alieno duci recusans ferociter exclamat; nequaquam esse rationi consentaneum, ut sine disquisitione rationum pareatur. cum ideo præditi ratione simus, ut ea in omnibus duce ac magistra utamur; bonumque & honestum esse non possit, id quidquid à ratione discedit, vel etiam rationis tentamenta non sustinet: ergone sine iussionum diiudicatione parebitur? & verò cui bono id fuerit? imò cui non malo præbebitur occasio? annon enim constat, multa per Præpositos perperam, imprudenter multa, multa quin etiam iuberi malè? quod nisi esset, qui fieri posset, ut eorum qui malè præfuerunt acta, cum eis successum fuerit, vel quamuis successum non fuerit, à maiore tamen potestate, multa cum laude res indantur? Quid? quòd quotidianum istud est, ut vno aliquo viro gnauo & prudente ad rei communis gubernacula præsidente, prosperè fluant omnia, pax, concordia, disciplina domestica, publicæ priuatæque res, bonorum quoque externorum copia affatim abundet: illo verò de medio sublato, vel suscepti muneris curam in alium imperitiosem transfereute, retrorsum fluant omnia, & res longis annis alterius industria firmatas, de repente paucis mensibus successoris ignauia labefactæ, perturbet & subruat? ut iam olim de domibus, at non de domibus tantum, sed & de quibusuis politis exclamare fuerit, O domus antiqua quàm dispari domino dominaris! Legge, si lubet, veteres Israëlitiçi populi historias; quàm fide dignas, tam subitas rerum conuersiones reperies: easque hoc vno fonte profluxisse, quòd sanctis regibus sancta omnia, propitiòque Deo, fausta cetera atque felicia fortirentur: at verò rege impio, in impietatem, malè obsequentes animi verterentur, infestoque sceleratis Deo, meritò malè omnia malis cederent.

Iam autem quis neget interdum ignoranter, perturbatè nonnunquam, neque suo loco, neque suo tempore, & minùs recto affectu, obliquataque ratione non rarò imperari? etiàmne iussis eiusmodi sine disquisitione parendum erit? Quid verò de iis dixerimus, qui non pastores, sed lupi rapaces, sed leones efferati videntur, ad eò exemplo, imperio, rectissimorum institutorum euersione perdunt eos, quorum propugnatores esse debuerant, ita lætari, pessimeque videntur triumphare, si suam non pro ouibus, sed contra oues animam ponant? Itane videlicet, etiam ad horum approbationem iudicium subiici, & diris omnibus execranda malitia, in Deum optimum referri, & quasi quæ fide traduntur, ita mentis cæcitate laudari debent? quis bonus & prudens id possit?

Atque, hæc fermè potissima sunt, quæ vel ab obedientia deterrent, vel tentationi si quæ inciderit, fomitem ministrant, vel nonnunquam bene procedentibus negotia facessunt: eoque nocentiora sunt, quòd fallis vera miscendo, speciem veri præferre conantur, naturæque nostræ blandiendo, in mentis vitalia

cautè inserpunt. Erunt ergo radicitus euellenda, nostraque hac scriptione ita confutanda, vt planissimum cuius fiat, nihil probabilitatis in eis restare, nihil quod quemquam meritò mouere possit: sed hoc sensim pedetentimque faciemus, id ordinatè persequentes quod ad obedientiam conducere censuimus. Adspirabit ceteris illa pia & misericors Dei mater Maria, cuius è paucissimis verbis, illud dignissimum habemus, *Quodcumque dixerit vobis facite*. Da, sancta Mater, vt cordi meo loquatur tuus filius. & quod dixerit scribam, atque ita ab eius dictis scribendo non recedam, vt etiam à scriptis, viuendo & agendo non dissentiam.

C A P V T II.

De primo & maximè necessario obedientie fundamento, nempe vt obediens, Deum in Superiore adspiciet.

HOc præceptum exerte & grauius, non tantum commendauit, sed & B. Apostoli Pauli, & Iesu Christi Domini nostri verbis comprobauit B. Ignatius, & quid ex eo sequatur ostendit apud Ribad. lib. v. cap. de Obed. vt nulla dictorum repetitione sit opus.

§. 1. Difficile, sed necessarium, in bonis & malis Præpositis, Deum agnoscere.

Arduum est nonnullis Christum Dominum in quouis Superiore intueri: vbi maximè in aliquem inciderint, durum, morosum, difficilem, æmulum, auctoritatis tenacem, perturbationibus expositum. Quid enim huic cum Christo Domino commune est, quem, vt alias è D. Bernardo retuli, quando cogitamus, *hominem nobis proponimus, nitentem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique honestate ac sanctitate conspicuum*, cuius placida vox non auditur in plateis, qui linum fumigans non exstinguit, calamum quassatum non conterit; sed quod contractum est alligat, perditam quærit ouem, peccatorem ad pœnitentiam vocat, vultusque & oculorum maiestatem amabilitate miracoudit. Iam si hos vtrosque inter se composueris, & speciem intuearis externam, quid diuersius, & aduersa fronte magis repugnans reperiri potest?

Ita planè est, si, vt dictum est, speciem intuemur externam, nec ultra tendimus: at si penitus, vt homines decet, non solis sensibus abducamur, sed quæ sunt potiora & retrusiora scrutemur; hæc inter se ita conspirare fatebimur, vt facile sit agnoscere eandem vitiosam imperfectamque rem, rei sanctissimæ perfectissimæque imaginem præ se ferre posse; non quidem qua ratione vitiosa est; sed qua potest aliunde aliquid rei perfectioris ad se traductum habere.

Quod

Quod vt in hac materia dilucidè confirmemus, præ oculis est habenda lex à sanctis Apostolis in omnes Christianos lata, dicente S. Paulo, *Omnia anima potestatis sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Vbi perpendendum, quàm certò asserat, potestatem esse à Deo, & Dei donum, Deoque resisti cùm potestati hominis, & quidem Ethnici, quales erant qui tum præerant, à subditis resistitur: eodemque modo regibus & iudicibus datam à Domino potestatem Sapiens asserit. Sed vt in ore duorum testium, imò duorum legislatorum, stet hoc potens verbum, audiamus & D. Perrum qui sic loquitur: *Subiecti estote omni humana creatura propter Deum: siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, — quia sic est voluntas Dei. Et mox: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste.* En gratiam, en consolationem sanctam, si quis improbis pateat, multaque potius pati sit paratus, quàm vt in Dei potestatem rebellet, & conscientiam peccando inficiat. Hinc igitur, sed & Conciliorum sanctorum auctoritate constat, imperfectione, vitio, vel peccato solo, sua potestate non excidere Superiores: non potest autem hæc illis integra manere, quin demuetur & perpetuetur à Deo; à quo omnis perpetim & iugiter potestas pendet in celo & in terra.

Cùm autem in parendo & se alteri subdendo, non bonitatis aut perfectionis, ac potestatis & auctoritatis à Deo necessariò profluentis ratio habeatur, nec minorem improbis, quàm probis obedientiam debeamus: profectò id argumento est, potestatem in vtriusque esse parem, nec eiusdem hominis, in Magistratu locari, subitoque à virtute in vitia delapsi, potestatem esse imminutam. Iam verò, cùm ratione potestatis vicarium Dei locum subeant Præpositi, si bonorum & malorum pare est potestas, firmissimè quoque nobis tenendum est, eos qui imperfectionum nauis nondum carent, non minùs Dei vicarios esse, nec minùs eius personam gerere, quàm qui omnibus virtutum numeris perfecti excellunt. Quemadmodum igitur probitate inæqualibus, ac æqualiter auctoritatem potestatemque regiam representantibus, & honor æqualis & obedientia deferri solet, ipsumque adeò regem æqualiter referre creduntur: ita planè quemcunque æqua auctoritate tibi Præpositum nactus fueris, in huius potestatem si intentos mentis oculos defixeris, æquali in eo diuinæ potestati parebis, æqualem vicariam Dei auctoritatem veneraberis: & veluti in iis quæ sunt, Deum esse; in iis quæ intelligunt, intelligere; sic in iis qui imperant, Deum imperare spectandum est.

§. 2. *De diuino & humano esse aliquid mixtum.*

Verum ex eo quod Præpositis vicariam Dei auctoritatem inesse dicimus, aperte datur intelligi, mixtum aliquid ex diuino & humano in eis exstare, non ita tamen ut istud utrumque in vnum aliud quod sit imperfectius coalescat & compingatur; sed ita ut quod diuinum est, diuinum perseueret; humanum, quod humanum.

Hominis igitur, & ut in homine, esse existimandum est id omne, quod natura sua, & perpetua quadam connexionione, in eo qui præest, quæ præest, non reperitur: si enim quæ præest id non habet, aliunde ergo quàm à potestate prædendi id habet. & potest in eo non esse etiam si re ipsa præsit: quare non est perennis & indiuisa eorum qui præsunt proprietas, sed aliunde accessit; tale est prudentia, modestia, benignitas, comitas, discretio, liberalitas, affabilitas, æquanimitas, zelus, caritas, fortitudo, & eiusmodi quæcunque, quæ licet à Deo, & verè diuina dona sint, eius tamen hominis sunt, cui donata sunt, & donata illi sunt ut homini virtute prædito; atque hinc dicuntur esse dona hominis. At verò diuina, & ut in vicariis Dei insunt, quæ sic Præpositis omnibus, & semper insunt, ut subiectis inesse non possint, qualis in primis est illa singularis ad præcipiendum auctoritas, tum benignus quidam ad gubernationis protectionem diuinæ prouidentia oculis, inuigilans ut Superior quæ ad commune bonum faciunt præuideat, quod si minùs præuiderit, optandos nihilominus exitus negotia sortiantur.

Hæc igitur sunt quæ in iis qui præsunt, distincta permanere ad eò cuius clarum est, ut nemo usque eò benignus alienæ indolis sit æstimator, qui illic se ei, quem virtute & scientia eminere videt, ad quæuis imperata subiungat, vel eum putet cui in alios potestas deferatur, protinus ex imprudenti prudentem, ex intemperante castum, liberalem ex auaro, ex imperfecto virtute cumularum fieri. Quinimò hinc procliuius in errorem via aperitur: cum enim plerorumque ea sit imbecillitas, ut non minùs, imò sæpè multò acriùs, illis quæ humanitas insita, quàm illis quæ sunt diuinitus largita capiantur; nam & sola comitas (quod in Absalone & aliis probatum est) transuersos agit, ut omnis iustitiæ timorisque diuini repagula perfringant: cum quæ in hominibus rari perfecti, plurimi sint imperfecti, humanam verò gubernationem, eam esse conueniat, quæ, non paucis quibusdam qui minùs egeant, sed passim omnibus conuenientior sit; cum animaduertuntur humana ista tam necessaria præsidia deesse, neque comitate, prudentia, affabilitate, ceterisque eiusmodi ornamentis auctoritatem fulciri, non animos ad venerationem simul & amorem in effecti, per facile est ut de summa illa, quam erga Superiores illibatam conseruari decet, reuerentia non parum deteratur.

Eundem

Eundem ergo obuiam, neque obfistendi ignavia committendum, vt Præfibus debitus honor pefsum eat: faciendum que nobis est vt, quemadmodum natura fensus nostros coërcuit, ne alter in alterius munia inuolet; oculus colores, & non fonos; naris odores, & non fapores diiudicet; ita prudens & vera obedientia fensus animi condoccefaciat, nihil que in Præpofitis nostris, nifi quod Præpofitorum est proprium, confiderare patiatur: ideo que humanis diuina ne in deterius flectat; portentofum enim id, & fimile monftri, diuerfis è naturis conflati foret. Quod quidem accuratifsimè tum obferuari oportet, cum ea quæ funt hominis, repugnant, parum que diuinæ auctoritati decora funt: nam fi quando præclatis etiam dotibus prudentiæ, gratiæ, fanctitatis, exornatur is qui præeft, nihil vetat, quin ea moderatione de qua pofttea differemus, etiam hinc, fuæ in Præfides obferuantia additamentum, curare poffit verus obediens. At humanam omnem, quæ naturæ, quæ que hominis est, imperfectionem aut vitium, à memoria & cogitatione depellere, fedulò conuenit, efficere que vt folius fimus auctoritatis diuinæ, in Superiore relucens memores, & reuerenter obfequentes: ac quemadmodum in Chrifto Domino duas non confufas naturas, ita in eius vicariis duas quoque diftinctas* perfonas contèplemur, diuinam vnã, humanam alteram, quarum vtrãlibet gerere, ponere, ipfi quidem varia occasione poffint, & eos poffe fciamus, (id enim in quibusdam euentis vtile fcitu, quæ dicenda funt docebunt) præstantiorem autem ab eis poni, viliorem indui, ne facile credamus. Quin potiùs (quod Regibus factitamus, quos non vt Comites aut Duces, licet eiuſmodi funt, fed folùm vt Reges compellamus ac in tuemur) ab eo quod in eis infimum est, oculos mentis auertamus; in id verò quod diuinum & fummum est, nempe in eam quam participant Dei repræfentationem, continuationem & contentione magna, in humilitate animi intendamus. Quod fi fecùs quàm par eſſet imperari, vel ab illis multa fieri videntur: illud idem nobis de plurimis quæ à Deo fiunt, videri agnofcamus, ac proinde in vtrifque temeritatem noſtri iudicij compellamus.

Perſonã hãc
dico quam
ἡγεμονίαν,
non quam
ἡγεμονίαν
Græci vocant.

§. 3. *Exactius aliquid queritur: & cur id querendum fit.*

Sic igitur conſtitutum, fatiſque videtur eſſe firmatum, elucere quouis in Superiore Deum, non fecùs quàm in quouis indice poteſtas regia & auctoritas; qui que Præpoſitum vel eius iuſſa contempſerit, vel in illa temerariuſ inſurrexerit, non fecùs diuinæ maietatis damnari, quàm regiæ ſoleant, qui in inferiores magiſtratus violenti inſurrexerint. Verùm explicatiuſ adhuc aliquid non immeritò poſtulari poteſt, vt percipiatur clarè quid peculiare ſit & proprium Præpoſitorum: nam & in quouis homine virtute prædito, multa Dei dona elucent, & omnis quæ illi ſit iniuria, imò omne omnino peccatum, Deum ipſum vel ſtultitia, vel malitia, eatenus petit, quatenus leges eius ſanctiſſimas & æter-

nas temerando, à præscripto aeternæ diuinæque rationis exorbitat.

Sed, vt varia sunt iudicia hominum, & sunt qui eiusmodi disquisitionibus non pascuntur; obiciet hinc nonnemo, huic quæ potissimum ad effectum, & vt loquimur, spiritû dirigatur scriptioni, videri omnes has subtiliores dissertationculas esse superuacuas; quandoquidem qui ad hæc legenda & reuoluenda accedunt, ea bonitate mentis esse solent, vt sibi facienda præcipi, non autem speculanda describi ament. Fateor eiusmodi reperiri è vulgo plures, nonnullos etiam, qui ad prima minùs vulgatæ doctrinæ verba exhorrent, lectionemque & librum de manibus ponunt, ad eò illis & nouum & inusitatum est, intellectum excolere. Fallor tamen si non admodum sibi ipsis detrimentosi sint & iniuri, & hoc ipso incitiæ se ac perpetuæ imprudentiæ damnent: etenim cum primam sui originem, natura virtutis à ratione trahat, nec vera virtus esse possit, nisi quæ recta ratione nitatur, rectæ rationi consentiat, & à ratione perpetuò dirigatur, ad eò vt virtus esse desinat, vbicunque rationis vis & energia esse desinat, nõnne vt de virtute ritè diiudices, necesse est vt qua ratione virtus stabilietur, quæ sit eius natura, cognoscas? quam si ignoraueris, quomodo, quid illi aptum fuerit, aut conueniens, quid contrarium & repugnans, quibus vis vel comparari, vel perdi possit animaduertes? quòd si, vt ferè multi, gnomas quasdam & placita, quæ res agendas asserant, non inutiles quidem illo, sed tamen ad virtutis summam insufficienti labore confereris, aliud si nihil habes, planè mediis in rebus frequenter necesse fuerit hæreas, cespites, impingas, offendas; vbicunque videlicet nouus emergens nodus, nouam dubitationum caliginem ignorantia offundet, quam, eiusmodi asseueratè affirmata assertio, discere non valebit: valeret autem virtutis, vel rerum agendarum intellectuæ perspectæque notiones, ex his enim ad omnem euentum, rectæ diiudicationis norma sumenda est. Hinc planè mihi contrà persuasi, simplicem in virtute sectanda, in hisque quæ ad mores spectant credulitatem, ab illis quidem qui incipiunt necessariò esse præstandam: at eos qui iam aliquousque progressi sunt, conati maximè debere, vt non tantum virtutis, sed eorum omnium quæ ad rectè agendum spectanda sunt, antecessiones, ortum, progressum, naturam, vim, interitiones & occasum, consentanea quoque & dissentanea, affinia, similia, dissimilia, sedula cogitatione rimentur: credantque sine his omnem virtutis adæptionem nutare, quid enim firmum, quid stabile, quid magnopere videatur æstimandum, in eo quod ametur quidem, at cognitioni subductum, & nequeat æstimari, & excoli nequeat, & nequeat tutum ab insidiis protegi?

Quæ autem dixi non sunt cuiquam sine obseruatione transmittenda; sed singula contentiùs virtutis consecutioni admouenda: habet enim vnaquæque suas nonnullas antecessiones, quæ sunt vel præfensiones quædam, vel prænotiones, indicationes, propensiones, & denique aliquid venturæ mox virtuti proludens: vbi autem hæc indoles animaduersa fuerit, prudenter videndum quibus

quibus foueri & ali debeat. In ortu verò & progressu, subtiliter obseruandum, quis & qualis cum anima nostra nexus intercedat, vt sic, vt quando, vt quomodo in eam insinuetur, inferpat, & implectatur intelligas: quomodo Spiritus vbi vult spirat, & interdum vnde veniat, quò vadat nescis; interdum ad tui & aliorum eruditionem, non eum tantùm, sed omnem eius præmonitum, aditum, progressum, motum, exitum, animo percipis. Sed ne longius diuager, sentiet quisque quod volet, mihi eiusmodi quæstiones, incun diratis plurimum, at utilitatis non minus videntur afferre.

§. 4. Priuata auctoritatis à publica discrimen.

Quapropter ad rem nostram redeo, vt inuestigem, qua alia ratione in Præpositis atque in priuatis viris bonis, spectetur Deus. neque est cur nos diutius ea res moretur, si in vtrorumque propria dona, & cur in eis spectetur Deus, intendimus. In priuatis ergo Deum agnoscimus, vel ratione naturæ, per quam Dei imago est; quod nunc missum facimus: vel ratione donorum & gratiarum, si quando virtute, scientia, prudentia, vel qua alia laude ceteros antecellunt; istaque ratione Deum quodammodo virtutes eas in ipsis elaborantem cernimus: vel etiam eos intruemur, vt qui fulgidissimæ & diuinitatem representantis virtutis, radios, humana imbecillitate temperatos, conspectibus nostris ingerant; vel si vtrumque permisceas, tam viri boni nobis proferunt Deum, quàm in illis videtur Deus. Ista verò priuatorum dona, quemadmodum illis priua, hoc est propria sunt, & ad alios (nisi fortè exemplo, vel utilitate foras traducantur), nihil attinent, ita priuatam quandam & voluntariam erga eos nobis ingenerant obseruantiam.

At in Præpositis donum auctoritatis & potestatis in eos collaræ agnoscimus, ratione cuius eis, vt Dei vicariis, obediunt, resistere formidamus, ne Dei ordinationi resistamus: estque hinc non voluntaria, sed debita obseruantia, qua non solum honorè, sed etiam obsequium & obedientiã à nobis deferri oportet.

Sed hoc ipsum percipietur euidentius agnoscendo quàm multiplex, & quid sit auctoritas: & hæc quidem ab auctore dicitur, qui is esse intelligitur, cuius (in meliorem partem loquendo) ea est nominis, consilij, virium, industriae dignitas, vt præclaro alicui facinori, rei, inuento, scriptioni initium & progressum dare potuerit. indeque consequens est, vt eam, cuius auctor fuerit, rem non minus habeat sibi obnoxiam, nec minore sibi iure vendicet, quàm alumnus & parens filium. Hinc verò perspicitur auctoritatem, nihil coactum & violentum sonare, (ideoque libentius hoc quàm potestatis nomine vtor) sed aliquid sponte, ordine atque ratione enascens, ac venerationem, & interim potestatem etiam, vni in alterum tribuens. Potestatemque in viris etiam priuatis reperiri: parens enim filio iure imperat & huius auctoritati illa conueniunt quæ de publica dicuntur, paucis deimptis; in quibus non est hærendum.

Est autem duplex auctoritas, Acquisita vna, alia Indita, (nam de diuina, nullus hinc mihi est sermo.) Acquisitam intelligo quam quisque sibi conciliare, virtute, ætate, experientia, scientia, præclareque factis potest: quæ verò vel nobilitatis vel diuitiarum sit, potius existimationis, vel vtilitatis vim obtinere, quam auctoritatis purem. Inditam verò, quæ necessariò forinsecus aduenit, & aliunde datur vt sit legitima, qualis est illa omnis qua homini auctoritas imperandi datur in hominem; cum enim sola origine naturæ, non sit homini imperium in hominem, aliunde id accedat oportet: neque verò virtus, aut prudentia, aut ingenium id perse præstant, nam & insipientioribus sapientiores plerumque, & vitiosioribus viri sanctissimi iure parènt. Sin autem nec virtus, nec ingenium, quibus maximè excellit homo, id efficere possunt, certè multò minùs vires corporis, aut etiam diuitiæ, & quæ ita sunt extra corpus vt tamen hominis sint, multò inquam minùs hæc sola hanc auctoritatem cuiquam conciliare credendum est. Altius ergo tota res arcessenda, & mox paulatim eò pertingemus.

Tria sunt, quorum vnum, vel etiam plura sibi deferri, iure suo postulat auctoritas; fidem scilicet, venerationem & obsequium: fidem exigit auctoritas, quæ est eiusmodi, vt illi merito credi debeat, vt veraci homini rem gestam vidisse se affirmanti, vt etiam vnicuique in sua arte bene perito. Venerationem porto meretur auctoritas, quam virtus, quam ætas senilis, quam res præclare gestæ conciliauerunt. At obsequium, illa sola suo iure sibi vendicat, qua vni in alterum potestas est imperandi. Est quæ hæc duabus aliis longè mirabilior atque sublimior, quantumuis illæ ipsimet homini vtiliores & perfectiores existant. Et sanè istiusmodi plura sunt in nobis: virtus enim & pietas qua Deo grati reddimur, & ipso quasi iure in cælestia transcribimur, nobis ipsis quouis alio dono melior, potior est & vtilior; mirabilia tamen sunt prophetiæ, miraculorum & similium extra ordinem portentosa dona: ita planè, auctoritas qua fidem, qua venerationem meremur, alicui quod nobis in sit bono, & quo laudabiliores reddimur innititur; at illa cui debetur obsequium, neque laudabiliores efficit, nec spectat nisi aliquid quod est homini extrinsecus immissum.

§. 5. Auctoritatis imperantis quanta sit dignitas.

Sed hoc ipsum tantum est, tamque diuinum munus, vt eorum quæ homini in homines diuinitus dari possunt, vix fortassis maius aliud digniusve reperitur. Sic enim ipsi nobiscum ratiocinari debemus, cum huius mundi descensionem, conuersionem, varios effectus, & quidquid in eo est, diuina prouidentia mutari, fingi, refingi, conseruari atque perennari videmus, maxima quidem esse illa, & eiusmodi quibus notitiam sui hominibus contestatam passim voluit Deus: quandoquidem non nisi summa ratione, & præsidente, ac in suos fines dirigente omnia, sublimiore quadam mente, tam certa & ordinata serie, tot res diuersas,

diuersæ, in vnum conspirare, ordinatissimeque deuolui possunt. Estque sanè illustre documentum, quo diuinæ, in id omne quod oculis cerni potest, gubernationis probatur auctoritas. At vt corporatis incorporata, & iis quæ videntur, ea quæ non videntur, natura & dignitate antecellunt, ita necesse est vt in horum quoque gubernatione eminentiorem aliquam, seu auctoritatem, seu potestatem resplendere, & illustres diuinitatis radios emicare deprehendamus.

Itaque hîc maximè est obseruare aliquid Deo dignum, illique soli conueniens: vt scilicet per se solum animos gubernet, regat, & quò velit impellat; subeat, subintret, insinuet ipse seipsum, vt lubet, vbi lubet, quantum lubet in animos, quos quaquaersum supremus ipse Spiritus, & spirituum omnium dominator & rector, *αυθεντικῆ ἀποκροτορῆ* sua, pro potestate, quocunque, mouet & inflectit. Et quidem, cum in homine præstantissima sit pars illa animi, quam mentem supremamque intelligentiam dicimus; illa quoque sit, quam in annulo aureo gemmam nobilissimam Bernardus vocat; Græci non specioso minùs quàm significante vocabulo *αὐτεξέσιον καὶ ἀρχέσιον*, nos verò, à libera censendi & arbitrandi facultate, Liberum arbitrium nuncupamus; in has vtraque merum & summum imperium, sibi reseruauit Deus, ita vt vtraque insidere & præsidere, nullapenitus creatura adminiculante possit; possit, si quando libuerit, ipse per se suam nostræ menti doctrinam, suas nostræ voluntati motiones, insinuationes, leges promulgare, efficereque, vt sic nobis illa proponantur, vt sine flagitio imperium detrectare non possimus. Cùm igitur hæc facultas, ita potenter animum humanum subeundi, omni sit creaturæ denegata, Deo conueniat, quæ auctor & creator est spirituum, summusque ipse spiritus; iam satis patet eius eminentia, facileque consequens fuerit, vt omnis eius participatio, esse nobilissima censeatur.

Dat verò huius potestatis participationem Præpositis omnibus Deus, & homini in voluntatem hominis (quo quid excelsius esse potest) auctoritatem tribuit, quam nisi tribueret, nulla vi, arte, industria posset quisquam eò attingere; quis enim nisi Deus, potestatem in alterius animum faciet? Est autem sanè permira & permagna imperantis potestas, qua fiat vt alter imperata debeat velle exequi, & vel solo eiusmodi obsequio denegato, in æternum damnari possit: potestne magis inuiolabili nexu tradi quisquam? Et quidem quàm latè hoc ipsum patet? qui enim potestatem & auctoritatem tribuit in voluntatem, ea pariter omnia in quæ voluntati est imperium, alterius ditioni subiicit. atqui reperieturne in homine aliquid quod non illico voluntati ad nutum pareat? sic ergo cum vnus alteri ad imperata subditur voluntas, non tantùm id quod optimum, & dominatus auidissimum, sed omnino totus homo homini subditur.

Vidésne ergo, vt hominem tibi præpositum, iam debes quasi quendam auctoritate

*Id est, sua
ipsius au-
thoritate su-
prema, su-
premoq; im-
perij iure nõ
aliunde de-
riuato, nec
alia vlla re-
spectante.*

etoritate Deum spectare, qui à Deo, supremum illud in animas dominijus, in
 se, participatione quadam transfusum deriuatumque possideat: qui auctorita-
 te ista ceteris eminens, & à vulgo segregatus, ipsis etiam animis, excelsior immi-
 net: tantoque, si auctoritas illa spiritualis est, venerabilior & augustior perseue-
 rat, quanto propriè regendis & perficiendis, quod planè diuinum est, animis est
 præpositus? quin etiam hoc ipso valdè assimilis est Deo, quòd vt Deus, ad alio-
 rum animos, legis vinculis obligandos, aliena & emendicata confessione non
 indiget, sed se solo in consilium adhibito, quod voluerit, vult autem semper
 quod optimum, id imperare, iubere, & acceptandum potest vigeat; ita qui præ-
 est, potest quod iudicauerit, quodque intra limites auctoritatis à Deo summo
 deriuata iustum & æquum fuerit, non consultis, repugnantibus, inuitis subdi-
 tis, ita præcipere, vt nemo sit eorum qui sine graui peccato possit obistere; at-
 que ad eò omnium planè illorum, nulla excepta, quod sanè mirabile est, volun-
 tates singulas, possit vnus ipse, (quod non sua vi dæmones, non possunt ange-
 li) sibi triumphatas sub iugum mittere. Subit hinc animum admirari quidem mi-
 rabilitatem in humana natura tantam, at magis obsecrare quo possum affectu
 subditos, vt ne vnquam in suis eam Præpositis amare venerarique desistant; ipsos
 verò Præpositos, vt dignitatis suæ memores, ne committant, vt tanto tamque
 diuino dono, in extremo iudicij die, abusi esse comprobentur: heu quale fue-
 rit, tantæ rei, tam nobile detrimentum! Domine mi Deus, animarum guberna-
 tor, per sacratissima Filij tui vulnera obsecro te, vt in Superioribus omnibus
 spiritum principalem confirmes Deus! Scio Domine, terribilis es, & aufers spi-
 ritum principum propter peccata subditorum; sed fac bone Deus, vt in sancti-
 tate & iustitia, in timore & tremore, seruiamus eis tanquam tibi, non ad oculo-
 rum, sed corde perfecto tibi placere cupientes, donec omnes in statum perfe-
 ctum, vbi nos vnus regas, vnus possideas, in mensuram ætatis plenitudinis Chri-
 sti, læti insimul occurramus.

Nec verò inopportunum fuerit, tum ex humana naturæ conditione, tum ex
 multiplici fructu qui ex gubernationis auctoritate in res omnes variè deriuat-
 ur; tenerrimum quendam in Superiores omnes amorem incitare, vt in eos, quo-
 rum munere vita nostra quietè, ordinatè ornateque traducitur, belluina planè
 futura, rapinis & latrocinis ac fœdissimis quibusque flagitiis execranda, vicio-
 rumque densa caligine obuoluenda, si abs illa politiam, siue gubernandi au-
 ctoritatem, quasi è mundo solem, sustuleris. Quæ sint ea & quàm magna com-
 moda, nec recensere ne longior sim, & sunt in medio posita, vt quiuis ea videre,
 si modò velit, possit.

Sic autem firmas hic amor radices agat, tam latè patulas, totque vtilitatum
 maximarum fibris, tam validè obuolutas & implexas, vt quantouis emergente
 incommodo, tentari vel nutare non possit. Improbi sanè ciuis & perduellis
 esset, ob rem aliquam priuato nonnemini seculi accidentem, rem publicam
 euerti,

euerti, magistratum omnem abrogari velle. vitia quædam gubernationis proferuntur, at vitium summum omnium constat esse, si nulla sit: vitiosè desectit monarchia in tyrannidem, aristocratia in oligarchiam, democratia in ochlo-
ratiam; at pessimum est anarchia, cum nemine ad rei communis gubernacula præsidente, vis & libido potentiorum, vel fraudulentorum astus pudoreposito, nullius auctoritate coercente dominatur: melius ergo semper est aliquam, quam nullam esse rempublicam; non potest autem esse respublica, non communitas, vbi priuata omnia sunt, nec est ius aliquod commune supereminens quo priuatorum seiunctiones reuinciantur quodammodo inter sese, possitque si cuiusquam improbitate violatur aut discinditur, illud ius, sua se auctoritate tueri atque iusta vindicatione reparare; hæc autem auctoritas, quia per omnes vagari dispersa non potest, necesse est vt sit penes aliquos, qui ceterorum, quasi membrorum, vnus in commune corporis, capita sint, & illi (cuiuscunque demum generis sit) in vnum congregatæ hominum societati præsent.

§ 6. *Quomodo imperandi potestas à Deo deriuetur.*

Ita quidem hæc se habent, at restat vnum, Quomodo à Deo in homines auctoritas illa dimanet? de quo ided pauca, quod etiam hinc reuerentiæ in Superiores, cum fiducia coniunctæ, leges amplior existit. Meminisse igitur debemus, affirmatè admodum vniuersè que dixisse S. Paulum, Non esse potestatem, nisi à Deo, hoc est, omnem omnino potestatem esse à Deo, nec aliter esse posse nisi ab eo: hoc autem dixisse tam de magistratibus & prouinciarum Præsidibus, aliisque etiam infimorum subfelliorum Præpositis, quam de ipso, à cuius nutu pendebant, Imperatore Romano; neque verò de illo solo qui tum temporis viueret, sed de aliis quoque deinceps futuris id voluisse intelligi, ac eapropter Christianos fuisse semper illis, quamuis impiissimis & persecutoribus, obsequentissimos: quod nisi fuisset, quam facile fulminatrices illæ legiones, fortissimique Thebæi, & tot innumeri, deliberata morte fortiores, Christiani, in impietatis assertores rebellare potuissent? Potuissent sanè, at sapientius noluerunt, ne quæ emicantis in Imperatore diuinæ maiestatis, auctoritatem læderent. ita sensisse, ita fecisse constat; obscurum tamen esse possit, quæ ratione id fieret, cum Romanos Imperatores, vel violenter rempublicam oppressisse, vel factione suffragioque militari, maiorem partem emeruisse memoria prodant. Hic ergo tantisper hæreamus: non est illi solirei, sed multis aliis hic nodus molestus vt dissoluatur.

Amantissimus est hominum, idemque sapientissimus & prouidentissimus Deus noster, qui cum *omnia in mensura, in numero, in pondere disponat*, illud maximum suæ bonitatis qua velit, sapientiæ qua norit, potestatis qua possit, argumentum ostentat, quod omnia quæ ab eo sunt licet diuersissima sint, ordinatissima

Sap. IX.

Vol. 113.

lima tamen sunt; ideoque bene significanterque dicitur, *Fundasti terram, & permanet; ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Ad conservationem autem ordinis quam maximè facit, ut certas in partes id omne distribuatur, & aliis aptè subiungatur, quod confusionem perturbationemque diuturnam pariturum videtur: itidemque ad providentiæ sapientiam pertinet, ut sicubi causarum inferiorum pervertitas, in rebus apprimè necessariis à destinato aberrare videatur, cursum inhibeat, & (quod lenissimè ac inobservabili motu præstare solet Deus) id omne in meliora convertat, efficiatque, ut eorum que adesse oportuerant, nihil desit. Sic ergo, si quando in re aliqua publica, ea invalescere tempora patitur, quibus aliquamdiu parum ordinatæ sint leges, regnet ambitio, potentiamque usurpata comitetur auctoritas; quæ frequenter non bonis, pervertis etiam nonnumquam, atque violentis artibus extorta videatur; fit sanè, ut in primo illo motu, dum durat vis ea, quæ comparandæ in ceteros auctoritati subleat, ægè possit agnosci, cui, & an omnino alicui, illo temporis articulo sit iure parendum: & verò ad breve tempus in anarchiam, vel in anarchiæ imaginem deplui, deque imperij iure non satis constare, non est cur à ratione censeatur alienum. At quia nullum violentum solet esse diuturnum, perpetuaque ista dissociatio animorum, & voluntatum auctoritate æquatarum inæqualissima dissensio, humanæ omnis (cuius conservandæ solemus esse auditissimi) societatis est inimica capitalissima: solent plurimorum animi, levi momento ad concordia bonum aspirare, & quam exhorruere potentiam, non potuerunt autem excutere, fauentioribus animis prosequi, agnoscere, ac interdum utrimque mutatis animis ardentiùs adamare. nempe, Vertumnus est homo, cuius non vultus tantùm, sed animi etiam facies, non in dies, at in horas, sexcenties emutetur. At quanto hinc suo bono? quid enim opus est, ut quorum initia sunt non bona, mali progressus, mali quoque sint exitus? quoties dominandi regnandiue cupiditas transuersos primùm egit nonnullos, qui tamen cetera boni & rebus gerendis apti, cum optatos honores essent consecuti, eos prudenter, moderatè, sapienter, & ex publica utilitate gessere? sed neque quis in adeundo obrinendoque magistratu error admittitur, auctoritatem ita vitiat & eneruat, ut illi non sit parendum: quidamque interdum, loci & hominum moribus, viget auctoritatis incundæ modus, non satis ipse quidem legitimus, & rationi congruus, verùm quia passim usurpatus, quia melior alius in usu non est, quia communi consensu admittitur, neque ius atque rationem penitus evertit, propterea ad rerum grauiorem perturbationem cauendam, etiam sic auctoritatem tradi patitur Deus. Qua in re humano generi benignissimè consulit bonus Dominus, nequaquam ferens ut quod vitæ nostræ rationibus est præ ceteris necessarium, id conuelli, in dubiumque reuocari possit à quocumque: sit necne vir bonus, prudens, sapiens qui præest; fauorene eblandito, pecunia, variis artibus, an suis meritis, in id fastigij sit euectus, obedienci nihil attinet:

attinet: auctoritati datae, non modo quo data est, obedientia defertur: eique qui *supra cathedram Moysi sedet*, quia inde praesidet, non quia eam certa ratione conscendit, adhibetur fides. Sic igitur quoties accidebat vt favore legionum, & acclamatione militari Romanus crearetur Imperator, quando primum vi & armis, vel Iulius, vel Augustus, rem publicam oppresserunt, dum illa bellorum ciuilium tempestas caliginosa, dulcissis in diuersa animis, defauebat, merito minus dilucide cerni potuit, quibus potissime obsequium esset deferendum: at vero tranquillatis animis, bellique tenebris pacis luce discussis, tum sanè alia rerum omnium & ordinator facies clarius elucebat, vt pateret, quis ille esset cui communi consensu pateretur. Non quodd vis illata, quod reipublicae oppressio, ius faceret, sed quod hominum aggressionibus non optimis, in finem suum sic vsa sit diuina prouidentia, vt quia vel ad tanti regimen imperij, vel ad disseminandum mox futurum Euangelium, non erat democratia opportuna, violentus quidem vnus ceteros oppressurus insurgeret, tyrannidique initium daret, at paulò post in communem concordiam inciuatis animis, communiq; *diuina* seu praeteritorum obliuione inducta, vtroneum susciperetur imperium, tyrannis mutaretur in monarchiam, ac vtrunque, affectu & cura paritum Imperatorem veneraretur populus, tum populi salutem tueretur Imperator. Certè qui regna *transfert de gente in gentem*, et: *um maximarum subitas mutatio-* *Eccle. 10.* nes leni flexu perficit; potentissimeque se insinuat, occulta quadam vi omnia in melius prouehens, & quemadmodum supremus omnium moderator huic semper orbi praesidet, ita summus confusionis asor, vicariam semper sui inter homines potestatem, siue in ciuilibus, siue in sacris, clarè & aperte vigere, ad humanae societatis bonum prouidentissime decernit.

Sed haec dicta sufficiant, vt communem auctoritatis vim, Deo semper esse commendatissimam agnoscamus; nihil enim anfractuolum, nihil controuersum habet sacra illa auctoritas, qua Religiosi, suis Praelatis obediunt. Constat enim à supremo Dei in terris Vicario Romano Pontifice, vnicuique Religiosae familiae eam dari potestatem, vt singularum legibus obseruatis, possint Superiores eligi, qui bono communi inuigilent, Religioni Religiosisque praesint; vnde consequens est, vt potestatem ab Iesu Christo D.N. per Vicarium eius, & Religionis placita deriuatam, possidere clarissime comprobentur. Quod autem fortassis interdum in quaestionem vocaretur, hic an ille ritè electus esset, controuersiam de re gesta continet; quae discussis factis diiudicanda est.

§. 7. *Summa veneratione dignos, qui potestate imperandi praediti sunt.*

Iam igitur denique concludamus hanc auctoritatem, summum esse donum, quo diuina bonitas, hominis indigentiae, humanaeque societatis conseruationi consulere volens, dignissimam quandam, sed certo limite comprehensam, su-

M m m m

prema

prema suæ in animas auctoritatis, participationem homini in homines largitur, donatque ut alios imperio flectere, premere & regere possit: qui verò eiusmodi est, ceteris omnibus celsior emineat alienarum actionum moderator & arbiter; suarum verò ita dominus, ut earum rationem repetere, nemo sibi subditorum possit, seuerissimam tamen exacturus sit Deus; cuius ita personam auctoritate sustinet, ut vitio suo non deperdat, cum non virtuti, vel bonitati, vel consilio, vel prudentiæ, sed personæ publicæ detur: quæ quamdiu intemerata manet, tamdiu illi sua reuerentia, obseruantia, obsequiorum præstatio assuetæ debetur.

Et quoniam tam necessarium tamque dignum id est, quam diximus, propterea diuina prouidentia quam maximam hominibus omnibus, effertur licet & barbaris, erga suos reges, magistratus, sacrorum antistites, venerationem indidit, ut penè hominem rationemque omnem exuissè, & infra pecudum videantur abiisse naturam, si qui pauci fortè reperiuntur, qui palantes sine rege, sine lege, nullaque potestate coerciti viuant. At cum numero, tum imperio rebusque florentissimis, & præclare gestis longè plures atque potiores, fuerit semper, hodieque sunt illi, qui monarchiis, qui principibus præpositisque magistratibus, ut rerum suarum iurisque legitimi arbitris, obnoxie parent. Fermeque optimo loco illorum respublica versatur, apud quos purior & integrior diuinæ auctoritatis intemerata imago viget: quod in monarchico statu verum est; in quo omnis in vnum collecta auctoritas, vnum summum gubernatorem Deum expressius refert, tantoque perfectior & ordinatior est, quanto plenius & summo iure, suæ potestati subiecta omnia, pro voluntate moderatur.

Atque hinc id seculum videmus, ut summis (quocunque nomine vocarentur) magistratibus is etiam honor, haberetur summus exterius, qui summam, quæ illis ex animo deberetur, venerationem testatam faceret; cultusque esset quidam illis proprius, insignia honoris quædam, quæ abs alio nemine usurpari fas esset; multæque id obseruent nationes, ut reges suos non nisi de genu soleant alloqui. nec sanè immeritò hunc Deo exhiberi solitum honorem ei tribuunt, qui Dei auctoritatem præ ceteris vicinius & perfectius sibi vindicat.

Inde etiam est quòd eorum semper auctoritatem sua prouidentia sanxerit Deus, grauissimis pœnis ad ceterorum exemplum temeratores principum afficiens. Lege, vel memoria recolite, si voles, quam acer ultor fuerit eorum omnium, qui se Caij Cæsaris (cuius tamen dubium ius diximus) cæde sordidarant. Sed illustriora sunt quæ à sacris Litteris suppeditantur, seu Davidis, vinctum Domini tantopere suspicientis, cæsumque vindicantis; seu Dei, obmurmurantes Moyse, tam acriter punientis; cumque in Samuelem aliquando etiam obloqueretur populus, *Non te, inquit, abiecerunt, sed me, ne regnem super eos: præceperat enim aliquando, & obseruari volebat, Diis non detrahès, & principi populi tui non maledices.* An factò temerari patietur, quos ne verbo quidem ten-

Exod. 22.

tari vult: quos Deorum quoque nomine dignatur? Iterumque aliàs sapius eodem loquendi genere vtitur, & maximè dum ait, *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat*: hoc est, inuisibili sua maiestate semper præsens adest. Deus, dum reges & iudices consilia decernunt; at simul, omnia cernente oculo, quàm recta illa sint iudicia diiudicant. Hinc vt & suæ dignitatis, & rationis reddendæ sint memores, siue iuxta D. Benedicti salutare præceptum, non tantùm quid vocentur, sed etiam quid sint, præ oculis habeant, *Ego, inquit, dixi, Dijs estis, & filij Excelsi omnes*: deos ego vos dixi, ceteris inquam hominibus, iis regendis quasi deos impositos, deos non quidem natura, sed selectione Excelsi, cuius peculiare quidam filij estis, cuiusque præclarissimo ceteris prouidendi munere fungimini. At in honore positi, intelligite, apprehendite disciplinam, & aliquando sapite: quid enim? *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis*. idemque vos manet interitus, qui præcedentium quemlibet excepit; tum verò *potentes potenter tormenta patientur, & iudicium sine misericordia, his qui sine misericordia fuerint, fiet*.

Sed hæc tristiora, & à cogitatione priuatorum aliena mittamus, dum autem Reges & Præpositi sunt, imò dū sunt dij nostri, videamus quàm iustū sit vt quos tantopere præ ceteris euexit Deus, eos nos quoque omni honore, sinceraque animi veneratione, propter Deum, & Deum in eis intuendo prosequamur. Sic tamen vt è dictis iam satis intelligamus, quàm diuersa hæc duo sint, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: &, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*. In priore quippe, alteri factam, sibi reputat Deus, qua ratione, omnis rectè facti est liberalis compensator, singularumque virtutum auctor, exemplar & finis: acceditque aliquid magis proprium, si etiam eius intuitu id fuerit patratum. atque hinc forassis etiam dicitur, *Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit*. *Qui recipit prophetam in nomine propheta, mercedem propheta accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*. Quibus verbis non idem dici videtur, cum asseritur, *Qui recipit vos, me recipit*; atque cum dicitur, *Qui recipit prophetam in nomine propheta, mercedem propheta accipiet*. hic enim sensus esse potest, qui prophetam, qui iustum in tantæ virtutis amorem recipit, eam recipit mercedem, quam illa virtutis veneratio meretur. At *qui recipit vos, me recipit*, plus aliquid sonat: vos enim ille, id est non has aut illas virtutes, sed eam quam ex me geritis auctoritatis personam intuens recipit, quæ persona quia mea est, suamque à me dignitatem continuò, quasi radius à sole mutuarur, dum vos recipit, me recipit, mihi honorem præbet. Et certè quidquid de hoc sit, illius tamen alterius loci ille planè sensus est: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Vt enim aliquando dixit Dominus, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit*. *Meæ doctrinæ sensu dici potest, Vestra, ô Apostoli, ô Pontifices, ô Reges & Prælati, auctoritas, non est vestra, sed eius qui eam dedit summi Dei; vos ergo ex auctoritate concessa iubentes qui audit, Dei auctoritatem, Deumque loquentem audit;*

audit; qui verò spernit; is maiestatis diuinæ reus perduellionisq̄ue damnandus est. Atque vt sprete vel etiam affectate auctoritatis regie est sensus acerrimus, & crimen odiosissimum, (quippe nihil est quod cum illo supremo dominandi iure in comparationem veniat) ita sprete seu in ipso met, seu in Dei vicaris, auctoritatis diuinæ, nullum aliud fingi nefandius crimen potest. Et ne vanè id me dixisse putes, en quàm disertè sanctus idemq̄ue placidissimus propheta, solito acrius exaudefcens affirmet, *Quasi, inquit, peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolite acquiescere.* quid enim? idololatra verum non adorat Deum, & deos sibi fingit, qui non sunt dij, quid tu, rebellis & Præpositorum contemptor, nunquid non Deos, quos Deos tibi fecit Deus, & Dij tui sunt, contemnis? & Deum qui in eis loquitur spernis? ipse q̄ue à te ipso, te regendi auctoritatem tibi vendicans, tibi impiè diuinum nūmen atrogas? & quando eodem temeritatis impetu, à vero & solo futuri præfagitore Deo per suos gubernante discedis, quando tuis artibus, consiliis tuis, tua tibi providentia consulis, non quid non istud ariolari est, sibi in futurum meliora providere, & (quod sacre Literæ loquuntur) *per tumorem animi se prophetam, se sibi videntem fingere?* Videtne in quod improbitatis barathrum, superbia & inobedientia præcipitem hominem derrudat?

1 Reg. 15.

Deus. 18.

c. 21. const. mon.

Et quidem quæ de eminentissima Præpositorum dignitate dicta sunt, vt verissima ita certissima sunt habenda. Id vnum iterum commendandum habeo, illos qui regendis, & ad æterna dirigendis hominibus præpositi sunt, tanto diuinam illam dignitatem participare nobilius, quanto anima corpori, temporariis æterna præstant, quanto q̄ue magis proprium Deo soli est, animos, quàm corpora mouere: hinc igitur iis eos intueamur oculis, quibus par est æternitatis duces, beatitudinis conciliatores, animarum custodes intueri. Superior enim, inquit S. Basil. nihil aliud est, quàm qui personam Saluatoris obtinet, & mediator Dei & hominum factus est, & qui salutem obedientium, ipsi sacrificat. Hanc autem reuerentiam, moderato timore conditam, si diligenter auxerimus, ei q̄ue humilitatem comitem iunxerimus, tum proculdubio id consequemur quod initio commendabam, vt mentis oculis, tanta splendentis auctoritatis luce completis, non sit quod humanæ naturæ nauos curiosius videre possimus.

C A P V T III.

Quid bene vel malè iubeatur à Præpositis.

EXpositum est superiore capite, præcipuum illud obedientiæ fundamētum, quo in Præpositis Deum intuemur: proximum est, vt etiam inquiramus an & quomodo in eorum factis & iussis diuina cluceat auctoritas, illustretur sapientia,

ria, prouidiq̄ue Dei bonitas erumpat: quippe non aliunde, quàm ob aliqua vel non satis probè facta, vel non commodè iussa, vel in peius maligna interpretatione detorta, de Præpositorum amore & auctoritate solet detrahi: nec aliunde, in Deum ista referre arduum est, quàm quia summa illa & perfectissima oprimi naturâ, esse videntur indigna. Difficilem, sed perutilem quæstionem ingredimur, sancti Spiritus afflatu consili: in qua prius id esse debet, Quid bene, quid malè iubeatur: quippe vniuersè loquendo, fieri interdum, vt aliquid secus quàm oportuisset imperetur; satis rebus ipsi videtur esse contestatum, & ex dictis euincitur: cum in Præpositis ita inlit diuina auctoritas, vt tamen humanæ naturæ propensiones, si quæ vitiosa fuerint, nihilo imminuta, ne dicam, (ob maiorem in agendo libertatem) aliquanto etiam roboratae sint.

Cum autem tum in quorumuis, at præcipuè in Præpositorum actionibus iudicandis, cauenda sit temeritas: vt ne in eam incidamus, erunt quæ mox dicemus perpendenda singula, quorum causa malè aliquid iubetur: sunt autem vel res, vel modus, vel circumstantia, vel finis.

Ratione rei malè iubetur, quando res quæ iubetur mala est: quod quatuor potissimè modis accidit: Primò, si res per se naturaq̄ue sua mala iubeatur; vt mendacium, simulatio, furtum, inobedientia, & quoduis vel lenissimum peccatum. Secundò, quando res non est per se quidem mala, sed alicunde tamè fit, vt mihi, in eo vitæ statu degenti, mala sit; quale est id omne, quod solis Religionis regulis, vel Superiorum aliorum ordinatione est prohibitum. Tertio, quando recta ratio docet, id quod nunc iubetur dedecere personam, & conditionem vitæ, vt si Religionum sacerdotem indecoro quodam vestitu concionari iusseris. Quarto, si res illa communem vsitatumq̄ue in Religione morem excedit, vel eneruat: vt si insueta longeq̄ue grauiore, quàm loci moribus receptum sit, ferocitate vitia puniantur, vel remissione indulgentia delabi, quæ à maioribus rectè instituta fuerant, sinantur: quippe Religionum Præpositi, aliq̄ue fermè magistratus, non Religionum aut rerum publicarum conditores, at conditatum, in iure singulis proprio, conseruatores esse debent.

Quamquam autem hæc ita se habeant; tria postrema certis locis, & temporibus rationibusq̄ue, interdum, vsurpari possunt; cum nequaquam ita mala sint, quin aliquando bene, vel saltem non malè, fieri possint, vt probant illorum qui nonnumquam eadem patrauerunt, exempla Sanctorum: quæ cum plurima sint, nec res hæc renocetur in dubium, non est cur in recedendis immoremur. Quòd si quando iussionem non dissimilem instare videamus, animaduertendum an frequenter, an raro, an semel tantum ista iubeantur: etenim si raro, si semel tantum, si extra ordinem, certa q̄ue ratione imperentur aut permittantur, cauendum ne temerè damnentur: procliuus foret, si frequenter, si passim, si quauis occasione, ista sinerentur. Et quidem de tribus postremis hæc dicuntur; peccatum enim, quod primò positum est, nunquam iuberi vlla de causa potest.

M m m m 3

Sed

Sed profectò vel tenuissimè cogitanti parere solet, quid rebus ipsis insit, & cuiusmodi sint. At eorum, quibus quis in imperando vitur, modorum animaduersione & impulsu, longè frequentius accidit vt nos iussa perturbent, eaque in deterius interpretemur, Præpositiſque, propè magis quomodo, quàm quid iubeant, sit videndum. quippe ista plerique viuimus mollitudine naturæ, vt non tantum rebus minimis, sed vel sola imaginaria quadam specie lædamur, offendamur, externemur: sed & Superiorum nonnullis, quædam interdum, ad ingratos imperandi modos, vitiosæ propensiones insunt: quippe reperias, qui ceteros vel vultu, vel sola vocis asperitate exterreat; qui imperioso gestu, alios à se, ostentatione fastus, arcere videantur; qui denique inferiorum abalienent animos, & se tamen credant lenissimos, credant amabilissimos. aded ipsa sibi adularix est potestas. Neque verò vt medearis, id sufficit, vt se asperos & inamabiles esse intelligant, sed fido & prudente monitore opus est, à quo sapit audiant, in quo & quatenus sit modus ille vitiosus, & qui non tantum doceat, quo contrario modo sit ille corrigendus, sed ad correctionem quasi manu ducat. Neque id multò secùs contingit, quàm in tono & pronuntiatione sermonis, vbi si quid peccatur, & dixeris, Acutiorem esse, vel stridulum, vel subsultantem; monuisti quidem verè, at vix erit qui ideo se corrigat: vix enim est qui suæ sibi pronuntiationis censor, aut tenuissimarum vocis inflexionum accuratus obseruator esse possit. at si eam vocis dissonantiam ad viuum primò expresseris; tum ex qua oris vel faucium dilatatione, elisu, contractione, id oriatur docueris; ac denique tuam ipse vocem in gratiorem sonum efformaueris; tum certe, nil penitus indocilis alter fuerit, emendationi viam perfacilem demonstrasti. Cum autem difficile sit reperire qui possit, qui velit, qui audeat, alterius, & maximè Superioris, defectus illi ipsi indicare, ad plenum exponere, modumque corrigendi præire: misera profectò conditione Præpositi viuunt, quibus propè pro humana infirmitate necesse est, iisdem in defectibus immori, in quibus sua eos deprehendit dignitas. Est tamen, est, quod isti mederi malo possit, iugis videlicet oratio, sincera cordis humilitas, plurima sui ipsius disquisitio, & acris omnium animi corporis que motuum diiudicatio, nunquam in fœcordiam soluta, nunquam diuinorum iudiciorum immemor. At quis est hic, qui hæc perpetui adhibeat, & laudabimus eum?

Verùm vnà cum modis, etiam circumstantiæ, vt loci, temporis, personarum, attendendæ, curandumque, vt benignè, vt beneuolè, vt ad naturam & vires cuiusque attemperatè imperent: sanè nihil est, quod amabilitate auctoritati adinculante, impetrare non possint. Quæ sint autem quæ vel modo, vel circumstantiis vitiosa sint, vel mediocri prudentia docebit: si maximè alterius, cui imperandum est, vicem subeuntes, humanæque, quam illi inesse sciunt Præpositi, infirmitatis modulùm sibi representantes, potius infra, quàm supra vires imperent, nihil nimis virgeant, præcipitent nihil, ac præ ceteris omnis sapien-

tiæ bonæque gubernationis fontem Deum consulant. Verè & piè, suo more, Magnus ille Pastor Gregorius obseruauit, propterea subditos minùs pacatè ^{2. p. 2470.} discretèque admoneri à Præpositis; quia Præpositi, amoris solius creatoris minùs intenti, & in multa sparsi, non possunt subitò se cum Deo ad discretionis culmen erigere: at ex hac nimia animi dispersione & familiaritatis diuinæ penuria, non hic solus error scaturit, sed alij etiam plurimi: videndum igitur, vt que magis necessarium est, tanto illi medeamur accuratiùs.

Iam finis, vt in iis omnibus quæ ab hominibus fiunt, potest plurimum, lateque diffunditur; ita maiorem admittit varietatem, & intentionem considerationem meretur. Ac primò considerari potest, quo fine, seu qua intentione, bona an mala, virtutis an vitij, sit aliquid imperatum? sunt enim qui interdum id fieri putent, ex inuidia, æmulatione, ab alienatione animi, alteriusve fraudulentò instinctu & impulsu, aut etiam quia Superiorem propria sua commoda, existimationem, vltionem suam, vel aliud nescio quid, cupidè ambire sibi fingunt. in quam iudiciorum, sanè temerariorum, voraginem qui semel prolapsi fuerint, non facile dictu est, quot se imperfectionibus, angoribus, perturbationibus inuoluant, & quàm sit arduum, inanissimarum suspicionum umbras, veritatis luce dissipare. Sunt qui sibi, leuissimis ducti coniecturis, persuadeant Præpositos, vel durè cuiusdam asperitatis rigidos esse amatores, vel perplacendi hominibus cupidos, blanda & emolliente lenitate adulari: horumque singulos, suis istis rationibus aptum finem sibi præfigere, & vt eum consequantur, duriùs, molliùs, vbi visum fuerit iubere: quorum tamen vtrumque (vniuersè loquendo) vitio quàm virtuti propius est, potestque non tantùm ad finem, sed etiam ad illaudabilem modum referri. Sunt quoque alij, qui se in aliorum vita acutum cernere credentes, de vitiorum virtutumue, quas sibi Superiores proponant & adament, electione prudenti, vel imprudenti, liberrimè sententiam proferunt; has nimium, illas parum, indecenter, importunè, secùs quàm oporteret obseruari: sic, vt illi, quorum sacrosancta vigere deberet auctoritas, illi sint qui præ ceteris maximè, iudiciis hominum expoliti degant. Sed hæc ad personas potissimè referuntur, dicamus quæ ipsis iustis magis inhaerent.

Solent enim, animaduerso fine, malè iusta dici, quæ ad finem propositum minùs apta sunt, vulgoque vitiosa natura nostra propendet, vt id etiam condemnet, quod finem suum, quacunque occasione, non fuerit cõsecutum. Finem alij aliter, nos quod in rem nostram faciat intuentes, in quadruplicem diuidimus: est enim finis rei, finis hominis, finis Religionis, & finis Dei. Finis rei, est finis in quem natura & vis alicuius rei tendit, vt architecturæ, habitatio; sermocinationis, sensuum animi explicatio. Finis hominis est, quem sibi homo proponit; vt si architectus, architecturæ finem sibi faciat lucrum; sermocinationis verò sibi quispiam finem ponat delectationem. Finis Religionis est, quem ipsa sibi Religio præscribit; vt si architecturam, ad vitandum orium, ad hospitalitatem exercendam,

cendam, ad laudem Dei in sacris adibus amplificandam exerceat; si sermocinationem, & mutua colloquia ad caritatis fraternæ conseruationem, vel spiritus feruorem excitandum, vel consilium petendum, vel multiplicem doctrinam refert, aut semper, aut quodam suo tempore. Denique finis Dei, imprimis est Deus ipse, in cuius honorem & gloriam, vt in primum & vltimum finem omnium, redeunt omnia: ac præterea, propinquiore quidam Dei fines, hoc est isti rei vel actioni præstituti à Deo fines dici possunt, quædam quæ Deus ex vno quodam euentu elicere vult miris quibusdam viis & rationibus, quæ cum omnino contrariæ humanitus coniectando videantur, euentus qui inde consequitur est prorsus nobis inexpectatus, & antequam contigerit inobseruabilis, humanoque intellectu impenetrabilis; ideoque in diuinæ gubernationis acque prouidentie vim se nostris casibus implectentem, & rectius dirigentem merito referri solent. Quod euentuum genus elucet maximè in iis quæ à Deo permittuntur, & ab hominibus malè, sine ratione, cautione, prouisione fiunt, vnde tamen magna de improviso bona erumpunt. Quando vnde opprimitur, inde exsurgit vegetior virtus: quando peccati illecebra, fit incertium carnis: quando conuersa rerum facie, quam summam nobisque formidabilem putabamus esse tempestatem, eam rebus nostris promouendis videmus fuisse secundissimam, exituque nobis optatissimo desisse: nonne id omne accipiendum est à benigne admirabili Dei sapientia, quæ ludens in orbe terrarum, eiusmodi interdum sui specimine, & quali scintillis, pronas hominum mentes sursum erigit, & ad altiora diuinaque contemplanda, mirabilitate inopina prouocat?

Iam, quoties agitur, vt rationibus ab fine ipso petitis, de cuius ipsam rei iustione iudicetur, tunc arcessenda, simulque prudenter & accuratè componenda sunt, quæ ad rem, ad personam, ad modum & circumstantias proprius pertinent, vt inde, quàm rectè fini quadrent, videri queat. sed & in variis illis finibus, sunt quæ inter se pugnare, sunt quæ luci caliginem, perspicuitati tenebras offundere putantur: interdum enim finis consentit fini, interdum & repugnat, quodque ratione vnius finis (puta rei) bene iustum videtur; hoc ratione finis alterius (puta hominis) malè iniunctum putatur: sunt que perspicaciùs, tum vtriusque rationes exploranda, tum inquirendum quis præcipuus & potissimus sit finis, ad cuius assecutionem reliqui dirigi debeant.

Sed hæc doctrina exemplis clarior erit & vtilior: fuerunt tamen ista notanda, vt ex quo fonte dicenda scaturirent obseruaretur, notisque principis, primum esset ad varios euentus, quasi varias areolas, humilis prudentiæ aqueductus inde deriuare, natiuamque nostram, ad iussa Superiorum approbanda, duritiem & aspredinem emollire. Faciamus ergo, cuidam colendi horti curam esse commissam, eumque totum isti muneri addictum: at ecce cum horti colendi tempus opportunum aduenit, Superior hortulanum aliò amandat, vel agricolationis imperitus iubet quædam semina eis committi locis, vbi minus feliciter

prouen-

prouentura sunt. Eundem Præpositum ad scholas adire videamus, & quia sic opinatur, ac olim ita fuit habitus, velit omnia ad Orbilianos & plagos antiquæ seueritatis mores exquiri: discipulorum plurimi diffluant, in reliquis & pudor & amor perire, malus virtutum, sed simulationis solers artifex, timor solus vigere reputetur: sua tamen in sententia perstet, iussionem seruari vrgeat Superior. Inde ad alias versus curas, veteri confessariis, ne non nisi certo tempore, breuiter, festinè, & quasi curriculo confessiones audiant, neminem sæpius, neminem diutiùs, quàm ceteros omnes: inde offendatur passim populus, alienetur à nobis, succumbant tentationibus, anxietatibus implicentur illi qui eis obnoxij sunt. Quid hic faciet subditus? rectène an malè iuberi iudicabit.

Non immeritò in eiusmodi rebus, dubius hæreat animus: dicamus ergo quid sentiendum, & ex his pateat, quomodo nos in omni euentu simili gerere possimus. Vbi de iudicio subiiciendo, & opinionum varietate agemus, nonnulla que huic etiam loco conueniant reperientur: nunc autem argumenta ex diuerso fine ducamus, hic enim varius apparet: quippe in eis quæ de hortulano dicta sunt, finis rei seu culturæ horti, cum natura sua sit fructuum feracitas, docet iussionem illam Superioris ineptam fuisse: at Superior, potuit finem illum, vt minoris æstimandum, contempsisse, & potiorum alium aliquem spectasse, qualis esset vrgens vtilitas proximi de salute periclitantis, & in eius opem emittendus esset hortulanus; fortassis etiam id facit ad periclitationem virtutis hortulani, quem mortificare, vt quid enim id verbum refugiemus, cuius insignificatu cõsequendo, perfectionis nostræ summa consistit: sed & sua sunt vnicuique arti vocabula, vt Superiorum, Inferiorum, Confessariorum & similibus, quæ latinitatis causa refugere putidum sit, & necessaria (quæ prima orationis est virtus) perspicuitati aduersum: quam acerrimi vir iudicij Augustinus tanti fecit, vt Ossum potius quàm Os, amphibologiæ vitandæ causa dici mallet: quanto ergo magis spiritualia spiritualibus scribentes, leuicularum obseruationum seculos esse decet? sed vnde abij, eò redeo. Potuit ergo Superior hortulani mortificationem spectare, eum quæ in iudicij proprij abnegatione exercere velle. qui fines & fini Religionis & Dei fini consentiunt: cumque Superioris iussio illis consentiat, non potest habita ratione finis meritò improbari.

At, inquires, turbatur ea iussione hortulanus, qui cum apertè videat à fine rei aberari, & horti culturam minùs commodè cedere, istas verò remotiores & natura sua occultiores rationes non prospiciat, non potest ex ignotis iussionem approbare; sin autem ex iis quæ nouit, eam improbet, quis id meritò temeritatis accuset? Sed leuicula hæc est, parumque probabilis excusatio. Inferioris enim est, Superiorum consilia non scrutari, non exquirere, non diiudicare, sed obedire, & vbi apertum confessumque peccatum palàm non est, omnia pro bonis æstimare; iudicia nulla, rationibus à natura & sensu ductis, firmare: has enim affectari Religiosum haud decet, sed se totum ab infimis recipere, & ad

N n n n

superiora

superiora traducere; credereque tantum Superiori, sibi tam parum providentia inesse, ut nihil ipse, Superior verò, quidvis bene commodeque provident: cumque in rebus humanis commoda sint mixta incommodis, si quid incommodi in rebus iustis videat, credat thesaurum quandam commodorum latere intus absconditum, cumque solis obedientia simplicis exercitiis erudendum. Præterea cum Religiosus, mundo renuncians, omnium rerum contemptum profiteri, virtutem solam, solam perfectionem adamare videatur: damnum ne reputabit, si ob Superioris iussum, minus olerum, minus fabarum legatur; si le- datur valetudo, si pecuniæ aliquantum, si lis, si ius externum perdat; interim verò quod crumena, quod corpori perit, accrescat animo, virtutes acquirantur, perfectio augeatur: O utinam bone Iesu, tanta esset Religiosis omnibus internarum virtutum, quanta bonorum externorum, (quæ flocci fecisse) sui que, quod perdomuisse debuerant) corporis cura! Verum ut ne longius abeam, hinc nobis commendatum esse oportet, ut quoniam Superiores Religionum, non ad eorum usum, & naturalia commoda, sed progressum in absoluta virtutum perfectione, & diuini honoris incrementis, ubique spectare debent: horum autem curandorum diuersissimæ, nobisque propè incogitabiles viæ sunt, non assuescimus disquirendo in iustis fini rerum, vel habilitati aut opportunitati ad id quod optatur consequendum: persuasissimum sit potius, eos qui præsentem celsiorem finem aliquem sibi ob oculos ponere, illisque ut maiore Dei lumine præditis, multa, quæ obtusam nostram aciem fugiant, facile ad spectabilia reddi.

Atque ex his, quid ad illa de scholis & de confessionibus exempla, respondendum sit videmus; nempe, in eo ipso quod nobis detrimentosum videretur, maiorem aliquam utilitatem latere, & finem celsiorem à Superiore spectari. Quis enim nouit, quæ vera sit utilitas, quis profectus animorum? forte præstat pauciores ita contineri, & Deo cum Superioris voluntate cooperante, firmas in virtute radices agere, tandemque saluos in æternum regnare, quam multos liberius agentes, virtutum specie ac ostentato flore blandiri, sed exarescente bono semine sterile scere, & à voluptatibus inescatos perire. Quoties, quæso, vidimus eos, qui solo timore vrgeri videbantur, qui solutis moribus, qui ad vitium erant cerei, à quibus denique nihil boni sperabatur, in optimâ frugem rediisse, multa & præclara in Dei laudem præstitisse, dum vitiiis & otio marcerent illi, quos ob adolescentiæ indolem, gratamque morum comitatem, & ingenuam cum amabilitate venustatē, reipublicæ Christianæ columina olim futuros gratulabamur? Ergo cogitationem eò referamus, cumque non id quod præsens, sed quod æternum est queramus, nobiscum ipsi statuamus, in tanta ignorantia futurorum, non posse nos ex rerum præsentium ad spectu, (virtute vitioque exceptis) verè certoque definire, quid ad æternitatem re ipsa aut profuturum aut obfuturum sit. In rebus igitur tam incertis, tamque ab omni sensu nostro remotis, ut quid non in meliorem partem interpretamur omnia?

Præterea (quod confessionum magis est proprium) quamuis benignitas ab aliis vsurpata laudabilis exstiterit; tamen quia creata omnia, sponte sua in deterius, & in interitum dilabuntur, illisq̄ ventilatio quædam & agitatio, ad situm detergendum opportuna est; merito potuit, primo in aditu, Superior nouus extimere, ne benignitas in laxamentum; caritas in vitiosam familiaritatem; confessio in otiosam confabulationem degeneraret aliquando: & quantumuis proximorum vtilitati, commodis quoque domesticis aliquid idè præuideat decessurum, dum scilicet offensi mutatione nonnulli, nostras operas refugient, & suam nobis opem subtrahent; nihilominus alia sibi respectanda putat, & præ omnibus cauendum ne quid detrimenti Religiosa disciplina patiatur: illique, qui rem integram conseruare, vel restituere velit, non ponendos rumores ante salutem: quin etiam, omnia illa quæ nunc videntur detrimenta, paulò post abundè, & cum fœnore resarcienda confidit, quando primæ tempestatis agitatione posita, obmurmurationum fluctus siluerint, & Religionis splendor enitescet. Quid: quòd hoc ipsum, vt obiter indicaui, conseruationi rerum expedit, estq̄ diuinæ gubernationis, vicissitudines amantis, & imitatio & effectus? vt enim hiems æstati, fertilitati sterilitas, paci bellum, diei nox, vitæ mors, & fermè contraria contrariis alterna vice succedunt, idq̄ & ad ornatum vniuersi, & ad rerum conseruationem facit; ita Superiorum in gubernando varietas, naturæ diuersæ & aduersæ nonnumquam, sententiæ compugnantes, modi discrepantes, qui tamen in vnum diuinæ gloriæ finem conspirent, probationem, ipsaq̄ rerum varietate magis exercitam reddunt inferiorum virtutem; vimq̄ diuinæ prouidentia, nulla cuiusquam mutabilitate nutantis admodum illustrent.

Sed hæc de fine, eiusq̄ varia consideratione dicta sufficiant: addamus etiam nonnihil de illa quæ nonnumquam in peculiaribus iussis intercedit inconsiderantia, vnde fiat vt id iubeant quod aliàs nunquam iussuri erant. Et quidem præstat inconsiderantiam nullam intercessisse, sed occultiore & nobis ignoto fine, permotos credere, deq̄ illorum prudentia sentire quàm optimè: eiusmodi tamen casus incidunt, vt id apertè deprehendatur, nonnumquam etiam eò confugiendum sit, quin etiam id ipsimet vltro profiteantur. Quare, vt nihil de nostra erga Præpositos obseruantia decedat, Notandum nobis est,

In cogitantiam, seu non cogitationè, siue non prouisionè alicuius rei accidere variè posse, nempe vel in rebus apertis & vnicuiq̄ ob oculos expositis, vel in dubiis atq; obscuris, ad quas præuidendas sagaci mentis intuitu sit opus. Præterea, humanū, ideoq; à nemine alienū est, vt subinde peregrinetur mens nostra, & in rebus notis & obuiis quasi retrusis & remotis erret, nec semper ad quæcūq; potest aduertat, aliquando fatigatione, aliquando distractione, aliquando eo solo quòd cogitatio eius rei non incurrat; quippe etiã in potestate hominis non est, quibus primis, & quo vsq; tãgatur. quoties, quæso, accidit vt ipsi nos miremur, qui fieri

Nnn 2

potuerit,

potuerit, vt aliqua non fecerimus, aut dixerimus? nempe causa nihil fuit, nisi quod mentem nostram nulla eius rei faciendae dicendaeue cogitatio incesse- rit. Quamuis si philosophari sanctius, & christianè sapere volumus, altiore prin- cipio, à Deo ortam, & in Deum referendam omnem hanc varietatem agnosce- mus: de qua plura dixi c. 12. Cynosura Christiana. ipse enim est qui vel suis vel angelorum sanctorum inspirationibus, vel rerum obiectarum, & vt obiceren- tur destinatarum occasionibus vtens, salubres in nobis cogitationes excitat; nisi si interdum vel iusto iudicio, vel prouida benignitate, ne quidem illas excitat, & ne excitentur inuigilat: nam & nostra indignitate id promereri possumus, variaque vtilitates inde possunt emergere, nec absolum est si interdum iusta de causa, bonum aliquid omittendum iudicetur.

Iam igitur duplici ex capite, cauendum nobis est, ne quae Superior ex in- considerantia iussit, in malè iustis & reprehensione dignis reponamus: Primum, quia non debet vitio verti, vel certè veniabile admodum est, id quod humanae omnis industriae modum excedit: & re vera supra hominem est, semper & vbi- que, in omnibus ad omnia sic attendere, vt nihil te effugiat, quod humanitas valeat perspicere. Si ergo ita semper rebus intendere, supra hominem est, vt quid hoc à Superiore rigidè postulas, & non potius muneri & negotiorum multitu- dini, in varia animam diuidenti, aliquid indulges? Secundò, cum vel noluerit, vel non permiserit Deus, mentem Superioris ad illa prauidenda vigilare, & hinc infortunatius aliquid aut nobis aduersus eueniret; verius longè esset, vt crederemus, vel peccata nostra meruisse, vt prudentiam à prudente tolleret Deus, vel etiam sua bonitate, praestantissimaque sapientia facturum, vt qui no- bis videtur error, errorum verissimorum corrector, maximorum malorum depul- sor, bonorumque conciliator existat. Ad hunc eundem modum, si aliqua, sed non satis perfecta consideratio intercesserit; excusari potius quam accusari de- bet, esseque commendatissimum, vt qui tam benignos actionum nostrarum in- terpretes optamus alios, ipsi Superioribus nostris ne adeò seueri censores simus.

Cum igitur ex eis quae adhuc diximus constet, malè aliquid imperari, vel ra- tione rei, vel modi, vel circumstantiarum, vel finis, vel incogitantia: in his au- tem esse per obscura multa, multa vtrumque probabilia & incerta, multa quae humanae mentis aciem frequenter & inculpate effugiant: quandònam fiet vt (Prepositis mediocri probitate iudicioque praeditis) aliquid quasi malè impera- tum, possit subditus arguere? quòd si vix vnquam, vel etiam omnino nunquam sic aperte redargui potest, eritne cur diuinam auctoritatem in eiusmodi iussis intercessisse denegemus? sed iam propius ad rem ipsam veniendum est, & peni- tius id securandum.

C A P V T I V.

*Quomodo, quòuis in euentu, mentis oculos in Deum, eiusque
sanctam prouidentiam conuertere possimus.*

Multa omnino sunt quæ viri acutissimo ingenio præditi, in Theologia, quam Scholasticam vocant, disputant & exquisitissime rimantur, solentque certa esse quæcunque ab illis passim sine controuersia probantur: reperuntur autem interdum in eorum disputationibus nonnulla, quæ remouentur aliquos in perfectionis acquirendæ via, ex eo quòd repugnare videantur iis quæ in sancta & simplici asceticorum librorum arte traduntur: quod potissimè illis accidit, qui præceptorum asceticorum speciem solam & verba, non sensum, nõ vim rationemque scrutantes, impingunt & resiliunt, vbi aliquid, ab iis quæ audiuerant & crediderant, diuersum sonet. Sed pro comperto illis esse debet, non tantùm diuersarum rerum diuersa esse nomina, sed isdem quoque de rebus diuersos esse loquendi modos, in diuersos fines quando tenditur; tunc autem, si suis momentis expenduntur, non tantùm in idem cõspirare omnia, sed etiam multiplicem variæ cognitionis vtilitatem deprehendent importari. Id autem mihi nunc incumbit, vt doceam, vtrorumque consentientem esse doctrinam, omninoque vnum in scopum tendentem, in eo quod vtrique de diuina prouidentia, rebusque quasi à Deo excipiendis philosophantur: sed passim plurimos reperiri, qui vtrorumque præceptiones, secus quàm oporteat, intelligentes hallucinantur: quare distinctè partitæque, non disceptantis, sed exponentis in morem, qua methodo id fiat, dilucidè mihi erit explicandum. Et ne quid in dicendis obscure lateat, primò ponam:

§. 1. Quid sit Prouidentia.

Sunt enim qui hoc nomine pressius, sunt qui latius vtantur. Latius vti debent illi omnes (quorum in numero Ascetici censentur) qui solius diuinæ prouidentia vim contemplantes, cum id ad finem sibi propositum sit satis, alias naturæ diuinæ perfectiones simul inuestigandas sibi non sumunt. Quibus quia necesse est vt consentiam, prouidentiam diuinam intelligo eam esse, qua Deus accuratissimè, rerum omnium, & causarum, & occasionum, & circumstantiarum connexiones, ordinem, efficaciam, antecedentia & consequentia præuidens, ita sapienter omnia ordinat in finem aliquem bonum, quem semper è rebus & euentibus omnibus elicit, vt quidquid vel amat fieri, vel fieri permittit, id totum ob sanctissimas aliquas, & vt plurimum suæ soli maiestati notas rationes, iubeat, aut optet, aut fieri permittat. Deum enim omnes agnoscunt scire omnia, & de omnibus sanissimè iudicare: cumque voluntatem habeat rectissimam

*De hac re
totam vide
Theolog. 1. p.
q. 22.*

*In Molin
1. p. 1. & sua
1. 3. c. 10.
& 1. 2. d. 1.
c. 18.*

Nann 3

mam

nam qua velit bonum, malum oderit; potestatem infinitam, cui subsint omnia, quæ sustentet omnia, & sine qua nihil possit effici; profectò consequens est ut nihil sit, quod gubernationis prudentissimæ & potentissimæ vim possit effugere; quòd si nihil eam effugit, ergo illi subsint omnia, omnia ab ea reguntur, & cellos quosdam in fines diriguntur. Atque hinc agnoscitur, diuinam prouidentiam duplici quasi vi perfungi; cognitione videlicet rerum singularum ac vniuersarum, eorumque quæ singulis, quæque vniuersis conueniunt: & præterea, apta connexionem, & in fines tum singulis, tum vniuersis conuenientes prouida dispositione.

Cùm autem id omne quod in Deo est, perfectissimum sit, necesse est ut quàm perfectissima sit diuina prouidentia, nihilque illi desit eorum, quæ ad res in finem laudabilem dirigendas, opportuna sunt: nihil etiam sit, quod illius prouidentiam vim eneruare, & irritam reddere valeat. Hoc autem vtrumque assequitur, certissimè verissimeque prouidendo, quid ex quaque re securum sit, si adhibeatur: vnde fit, ut si quid adhibet ad aliquem finem consequendum, nec frustra, nec in incertum adhibeat, cùm sciat quid inde sit securum: atque hinc, si quid omnino fieri vult, videtque ex eiusmodi concurrentium rerum implexu, id minimè futurum; facillimum illi est, vel ne isto modo conspirent impedire, vel admouere illis aliud quidpiam, quo admoto, certa præuidet conuersionem caularum, id fore quod decernit. Estque hoc nobis memori mente reconcedendum; nec enim parum valet ad fiduciam in Deum exciendam. Non ita nobiscum agitur, nec eiusmodi sunt humanæ prouidentiam, fallaces, incerta, vanæ, imbecilles, & sæpius inanes. vnde Sapiens meritò dixit, *Cogitationes mortalium stulta & incerta prouidentiam nostram*. Quoties dum pro votis fluunt omnia, iamque quasi superatis aduersis triumphatur, exortus repente turbo spem in desperationem, gaudia vertit in lacrymas? nempe & quid sit intercursum ignoramus, & si maximè sciuerimus, neque illud ipsum auertere, neque præsentiore villo remedio inflectere aliò possumus. & superbimus adhuc, tam angustis, tam futuri incertis limitibus circumsepti?

cap. 9.

§. 2. *Qui sint diuina prouidentiam fines, & an omnia a què sibi proponat.*

Ex hoc vno quàm multa pendeant, in decursu dicendorum satis patebit, quàmque huius rei explanatio, si non huic soli commentationi propria, ac certè pernecessaria sit. Sed præstat rem aggredi: sic tamen ut profitear nequaquam mea mentis esse, subtilissimis, at minùs ad rem nostram facientibus, de ordine & ratione rerum præuisarum quæstionibus, me inferere: quare, si vnum prius alio recensuero, non alia ratione (nisi fortè id explicare assererem) id fecisse sum putandus, quàm quia simul omnia non potui, vnumque prius alio dicendum fuit.

Prou. 36.

Vltimus igitur & supremus, primusque diuinæ prouidentiam finis, in quem denique omnia referantur, est Deus ipse: vnde Sapiens ait, *Vniuersa propter semetipsum*

ipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem ira. Cumque sit instar infiniti cuiusdam Oceani, à cuius inexhausta bonitate omnia bonorum flumina procreata decurrunt; iustissimum est, & ratio exigit, imò nec aliter esse potest, quam vt inuigilante diuina prouidentia, certissimè denique, eòdem in eius honorem & gloriam, omnia recurrant. Itaque per eam vel maximè, iustitia, sanctitas, bonitas, immensitas, potentia, sapientia, ceteraque Dei perfectiones, omnibus ratione & intelligentia præditis demonstrantur: tamque apte res, causa, voluntateque omnes disponuntur, iis circumlepiuntur legibus & limitibus, vt effugere ad extremum non possint, quin diuinæ maiestatis amori vel timori, iustitiæ vel clementiæ, potestati vel benignitati, aut alteri eiusmodi laudi illustrandæ, velint, nolint, necesse sit insetuire. Beatos eos prudentesque, qui se vltro benignitati subiungere, quam à potestate subiugari malunt.

Iam hoc primo certoque sineposito, ceteri quoque multi sunt vel generales, vel singulares, vel accommodati ad naturam, vel supra quàm natura deposcat exquisitiores, qui supernaturales vocantur: & ex horum complexu vario, variæ sunt ad finem destinationes, ordinationes & conuenientiæ; variæ item videntur hominibus aberrationes, defectiones & discrepantiæ; inde casus, monstra, fortunam dicimus, quæ aliquando voluisse, semper autem, saltem præuidisse dicendus est Deus, cui nihil casu, nihil improuisò & fortuitò accidit. Cùm igitur & perfectissimè videat, quid è rebus singulis, quomodo possit euenire, & potestati eius nihil possit obistere, nihil sapientiam summam fallere; facillimum illi est efficere, vt fini illi primo & summo, quem iam diximus, fines ceteri omnes communi conspiratione consentiant; nec est arduum, accuratiùs eorum vim excutientibus, animaduertere, quàm sensim & commodè, in vnius Dei gloriam desinant & aptentur. Quippe in hunc finè & angelos & homines, à Deo bono conditos videmus, eosque omnibus rebus instructos, quæ ad illos eò perducendos forent opus. Hinc quoniam homo non animo solo, sed corpore quoque constans multis, vel ad indigentiam, vel ad solatium, corporatarum & ad spectabilius rerum subsidiis indigebat, hunc totum ei mundum quasi quoddam quod inhabitaret palatium, ita sapienter apteque distinxit, vt ex eius pulcritudine & ordine fabricatorem Deum agnosceret, ipsa autem rerum plurimarum copia, variè, vel in bonum, vel in malum, vti posset: decebat enim in stadio & loco certaminis, certandi præberi materiam, tanti que & æterni præmij, quantus est ipse Deus, adaptionem esse voluntariam.

Vt verò bonitatis diuinæ liberalitas pateret, & quàm eius perfecta sint opera, ideo etiam nihil ad humanæ vitæ oblectationem, nihil ad eruditionem, nihil ad correptionem deesse huic mundo voluit, quo videlicet humanæ naturæ teneritudo alliceretur, doceretur ignorantia, instabilitas firmaretur, præstatioque esset, si ad deteriora deesset; vnde ab ærumnis, doloribus & aduersis, in gyrum rationis reduci posset, vnde rerum omnium perpetuò pericuntium caduca

condi-

conditione notata, sanius amorem ad æterna conuerteret. Et quoniam ne sic quidem futurum erat, ut omnes à peccando sibi temperarent, ita quædam sapientissimè, summoque iudicio, statuit mala permittere, ut simul ex eis plura & maiora bona prouidè curaret erumpere, & ea ipsa in bonorum usum conuerteret. Sed de his loco suo.

At verò ut tanto plura ista dona faciamus, puriusque de illis iudicemus, cetera fide tenendum est, nihil à Deo fieri, quod non summa ratione fiat: ac nihilominus tria nobis præterea perpendenda, Deum scilicet tam in rerum & causarum naturalium connexu, (de quo postea melius) quam in aliorum donorum & gratiarum largitione esse liberrimum, esse liberalissimum, nonnullis tamen occulta de causa liberaliorem. Quia liberrimus, quando vult & cui vult donat, aut non donat, & verò quis respondebit ei? vel quis dicere potest, *Cum ita facis, obmurmuranti quia minus habet, annon intonabit quod cuidam, Tolle quod tuum est, & vade: an oculus tuus nequam est, quia ego bonus? aut non licet mihi quod volo facere? Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo cuius miserebor. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit. Quid me fecisti?* Ita est, at quia optimus est & liberalissimus, latissimè ac munificentissimè, diuitias liberalitatis suæ, in omnes vndique diffundit: hinc celi omnibus gentibus enarrant gloriam eius, & Solem suum omnibus oriri iubet, & bona omnia, propè magis impiis, quam piis geminat, & infinitis propemodum aliis argumentis bonitatis suæ immensitatem contestatur. Hæc tamen omnia, sed maximè dona gratiæ, quia certis debent limitibus obsepiri, ne eadem singulis dispertienda sunt, largissimè nonnullis, temperatiùs aliis, paucis quibusdam angustè, at singulis, quod ad Deum attinet, & spectatis quæ bene agentibus præstò forent subsidiis, ea copia dantur quæ illis ad æternam gloriam comparandam sit satis.

Qui igitur omnia fecit, eorumque quæ fecit nihil odit Deus, omnia curat, omnia gubernat, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Cumque & æquissimus & prouidentissimus sit omnium parens, meritò idem Sapiens exclamat, *Quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet, vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium. — Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis, ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute. Virtus enim tua, iustitia inuitum est: & ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. — Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi cum volueris posse. Ita ille, verè de Domino in bonitate sentiens, misericordiamque illi & iudicium in simul decantàs. Misericordia in omnes quidem & iudicium pariter elat: at quòd illi sit quorundam peculiaris cura, quòd eorum gratia ceteris indulgeat, quòd sollicitè illis inuigilet, quasi pupillæ oculi, ut ne à quo quæ impune legantur

Iob 9.

Matth. 20.

Rom. 9.

Sap. 8.

cap. 12.

dantur, quòd omnia illis obsecundare, illorù profectibus inferuire faciat, quòd ad magna, vera, certa, æterna, & sola cælestis gloriæ bona eos absque errore perducatur; id verò eximie est misericordiæ cum admirabili & adamando diuino iudicio coniunctæ; id profectò singularis est & vigilantissimæ in eos homines diuinæ prouidentie, facientis vt eiusmodi electis omnia cooperentur in bonum, & finem illum præstantissimum, in quem destinati sunt, certissimè consequantur. Hinc autem illud conficimus, nostro huic argumento conuenientissimum, vt quando liberrimè, liberalissimus Dominus, hunc mundum omnem creauit & gubernat, oculi autem eius in iustos, & aures in deprecationem eorum, nihil sit in totius orbis parte vlla quòd præ suis dilectissimis filijs magni faciat Deus: si quid eis aduersum, vereque damnosum extiterit, inflectet, euertet, immutabit, donec eis aut non aduersetur, aut prosit. O magnam, his qui se filios Dei probabili coniectura possunt credere, in quauis rerum conuersione fiduciam!

Plus dicam, & quantum existimo, verissimè dicam, illi sunt, quorum causa sunt omnia, quibus est terra stabilita, quibus ornati cæli, quibus temporum & sæculorum momenta decurrunt & aptantur. Vnde sapientissimè S. Apostolus, *Nemo gloriatur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue presentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.* Eos alloquitur, quos filios Dei, non in præsens tantùm esse, sed in æternum futuros confidit, eorumque animos & à rebus & ab hominibus erigens: *Quid, inquit, res hæc infimas, & mortales homines, respectatis? vestris ecce commodis, vestræ salutis cuncta subseruiunt: non vos vel Pauli, vel Apollos, vel Cephæ, vel mundi, vel vitæ, vel mortis, vel presentium, vel mox futurorum causa facti estis, vt inde gloriemini: at vobis ista cuncta famulantur, vobis illa prouidit, in vestram æternam salutem ista fecit Deus, & ad vestra commoda conceduntur: vos verò solius estis Christi, Christus Dei, hunc spectate, hunc vestri boni, vestrique desiderij, solum arbitrum, gloriam finemque præfigere.* Celebre quoque est illud D. Augustini quo docet, *ideo malos viuere, vt corrigantur & boni euadant, vel vt per eos boni exerceantur, & meliores fiant: quod profectò non est aliud, quàm asserere ipsos quoque peruersos homines, in bonorum hominum gratiam vel tolerari, vel esse conditos.* Hoc autem qui fatebitur, non agrè cetera quoque, vel rationis, vel sensus expertia, sanctis viris, & propter eos maximè à bono Deo facta esse concedet: vnde consequens fuerit, vt quemadmodum in eorum gratiam facta sunt, ita etiam disponantur, gubernentur, perseuerent, & ad nutum, vbi opus fuerit, electis inferuiant.

Sed hinc ex occasione dictorum, duo quæri possunt, eaq; ad id quòd sequetur admodum opportuna. Primùm, an singularum rerum, vel vniuersarum vnus tantùm, vel ex vno plures apti fines fuerint? Alterum, in tam varia rerum distributione, quæ maiora & potiora Dei dona censenda sint?

O o o o

Quod

Quod ad primum attinet, immensitatem diuinæ scientiæ omnia simul intelligentis atque componentis æstimans, itemque quàm prouidè atque sapienter in vnum omnia conspirare faciat, sicutamen vt neque bona singularia vniuerso bono, neque vniuersum singularibus officiat, inseruiat potius: mihi persuadeo, sapientissimum prouidentissimumque Dominum totam hanc rerum complexionem in seriem ordinatissimam rede gisse, non tantùm vniuersæ quasi machinæ, sed singulis quoque rebus, hisque maximè quas à se maximè diligendas videbat, prospiciendo sollicitius, ideoque hunc potius quàm illum causarum nexum, vel permittendo, vel etiam de industria innectendo, quia sic vtilius, iucundius, & ad finem suis electis propositum accommodatius futurum erat. De his quidem nihil ambigo, sed facit diuinæ sapientiæ & bonitatis eadem immensitas, vt id ipsum longius ad cetera, saltemque ad homines probos & improbos pertraham, vnde perpetuū, ac semper oculis obuersans diuinæ largitatis, ac fecundissimi amoris argumentum læti reuoluamus. Quid enim? si pomum comedo, si sub fronde patula umbras capto, verè cogitare possum, ab æterno, id commodi mihi prouidisse Deum, meaque causa primam eius generis arborem procreasse, indeque longa, sed certa, sed præuisa, sed in hanc vsque diem mihi ordinata serie, id commodi mihi voluisse: adeo vt mihi tot sæcula, tot renouate ab initio propagationes floruerint: neque secus existimare possum, quando vel ex animantium indole & robore, vel fluminum fluxione, feracitate soli, amœnitate montium, Solis, cæli, & quarumcunque rerum insita virtute, vtilitatem decerpo, ea singula, ea tota mihi fecisse, mihi præparasse Deum: & quamuis ceteris communia sint, non minùs meæ vtilitati deseruiunt, nec minùs mea causa sunt, planeque mihi credibile, & diuinæ bonitati, summæque (cui quasi nihil ista sunt, quæ nos miramur) potestati consentaneum est, vt mea solius causa futura essent, si ceteris inutilia fuissent, vel etiam omnino si ceterorum nemo vnquam existisset. Nihil enim prohibet, rem eandem ita plurium gratia fieri, vt singulorum tamen causa futura esset: idque tum maximè, cum illi in quorum gratiam id efficitur, adeo diliguntur singuli, vel adeo liberalis est qui id efficit, vt idem singulis quod vniuersis, putetur in meritò præstiturus. Probarem hæc latius, nisi instituti mei argumentique propositi memorem decerer esse: cui hæc satis esse debent, vt hinc tantò grauius & certius moneamur, in rebus & casibus omnibus, esse nobis sursum oculos & mentem, ad Deum nostrum attollendam.

Iam autem vt de magnitudine donorum agamus, indeque agnoscamus, quanta sint quæ plurima donat Deus, neque temerè hæc aut illa minora dona esse iudicemus, vnde versis in delectionem animis, insolabiliter ipsi nos, velut ab hominibus durius abiectos, à Deo despretos lugeamus; quædam sunt nobis obseruanda.

Dantis igitur, & eius cui datur, longè magis quàm naturæ & conditionis rerum datarū, hæc est nobis habenda ratio, vt videbimus. In eo verò qui dat, quem
Deum

Deum esse dicimus, id solum nunc specto, quod liberè, certa que ratione ac sine proposito, donâ sua impertit: unde maius erit donum illud, habito ad Deum respectu, quod ipse Deus sciens & volens, in præstantiorem finem, efficacius & magis accommodatè dirigit: quandoquidem hæc ipsa, hoc tempore, sic efficaciter & accommodatè facta donatio, ex prævidentis, ideo que illam eligentis voluntate perfecta est: non secus, ac si ex certa scientia medicus ægroti viliorem cibum, sed illi tempori opportuniorem præbeat, quem deinde optimè natura concoquit, alium præstantiorem reiecitura; maius beneficium ægroti confert, quam si cibum alium porrexisset, quamuis deinceps vi caloris natiui alatur corpus: ipsum enim à præsciente futura profectum beneficium, quod futuri boni sit occasio, censetur à volente & sic donante proficisci ex amore & desiderio boni, quod per eum qui beneficium accepit fieri debet.

De homine verò in quem donū aliquod confertur, ita est habendum, ea esse homini & potissima & vtilissima, quæ hominem quàm maximè perficiunt, ad eumque ad quem creatus est, nobilissimum finem, accommodatissimè, plenissimè certissimèque perducunt: ex hoc ceterorum omnium iudicium esse sumendum. Hinc igitur cum homo sit æternitati natus, ei que hæc misera & peccans vita instar carceris, aut exilij, aut peregrinationis, aut breuissimi traiectus videri debeat, potestne vllum huius solius vitæ donum illi meritò magnum videri? annon longè est æquius, vt beatæ immortalitatis cupidus affectator, ea sola quæ ad illâ ducunt pro magnis habeat; quæ ad illam non conferunt, aut contemnat, aut si eam in discrimen adducunt, exhorreat? Hinc ergo mihi velim æstimes, quæ & quanta sint dona, seu diuinitus, seu etiam humanitus accepta.

Et quidem si rerum datarum vim naturamque spectamus; nemini dubium esse possit, quin vt mentis & animi, ita donorum quæ ad mentem pertinent, in reliqua sit principatus: proxima sunt illis, quæ ad vitæ, corporis, sensuum nostrorum conseruationem necessariam, inde quæ ad honorem, oblectationem & commodam faciunt. Atque his fermè terminis vniuersa donorum ad hanc vitam concessorum copia circumscribitur. At quoniam non ad hanc, sed ad beatiorē aliam vitam procreati sumus, vt hæc vita tota in illam, sic hæc res omnes in eam etiam referendæ, eiusque comparatione sunt æstimandæ.

Sed quoniam neque latius neque in incertū fluctuando hæc à me tractantur, argumento nostro quantum conuenit aptemus: quò videlicet ex his intelligamus, non esse nobis illa præ ceteris curanda vel amanda, quæ sunt hominum existimatione & laude potiora, imò nec ea quæ solent apta esse instrumenta virtutis, vt eruditio, vt scientia: sed ea sola, quæ verè & reipsa in celsiore beatitudinis æternæ gradu nos collocatura sunt. Quare licet copia inopiæ, nobilitas ignobilitati, ignominie gloria, infirmitati sanitas, scientia ignorantie præstare passim iudicetur; non ita tamen est, sed tum tantum, quando re ipsa ad virtutem, & beatitudinem, Dei que amorem magis conferunt: sin

autem inopia, ignobilitas, infirmitas, magis perfectioni nostræ conducunt, verè optabiliores putandæ sunt. Cùmque si æquis animis excipiantur, longè soleant feraciores esse mèritorum, eaque vitæ conditione, & naturæ molitudine viuamus, vt prosperis, elatis, iucundis, & ad libitum fluentibus enectemur, Dei quæ & æqui ac recti nos capiat obliuio: propterea nobis, vt debemus, æterna respectantibus, & ex illis præsentia æstimantibus, longè facienda sunt pluris, & instar thesauri absconditi, hæc abieciora, contemtiora, duriora, eaque omnia quæ copiosorem gloriæ futuræ segetem præparant. Certè post flagellationem *ibant gaudentes* Apostoli, annon & gloriantes? *quod digni essent habiti, pro nomine Iesu conumeliam pati?* Et quasi singulare, planè quæ eximium donum de nonnullis recensetur, *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Quid: ille mundo crucifixus, ille, non quæ ab hominibus, sed quæ à solo Deo est, gloriæ quærens, nõnne in infirmitatibus, in tribulationibus gloriatur; omnesque docet, esse gloriandum *in spe gloriæ filiorum Dei?* Sed & ipsa Veritas, quid à nobis verè magni fieri, quid pro ingenuo bono & dono haberi, & ex cuius adeptione magnopere lætari debeamus docens, cùm aliquando potestate in dæmones accepta discipuli gaudio efferrentur, *Verum tamen, inquit, in hoc nolite gaudere: — gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et alio loco; *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Verè magna & recondita hæc est tua, Domine Iesu, sapientia, quam non è terra, sed è cælis, & ore tuo sanctissimo haurimus, eam quæ magna & alta spirantibus abscondis, reuelas autem paruulis. Ita Domine: sic enim tibi perplacet, cui semper humilitas & simplicitas placet, à superbis autem, & vana diligentibus procul abcedis. Da mihi, Iesu optime, sensum istum, vt nihil magni faciam, nisi te; nisi quod ad te, Deum meum, deducit. Illum sua nobilitas, alium diuitia, doctrina, eloquentia, gratia, maiestas, potentia, robur extollat, at mihi tu solus sincerè sapias, & præ ceteris id sapiat solum, vt in tua tibi minimus valeam Societate famulari, despectare præsentia, æterna suspirare. O vtinam, tu quisquis ista legis, Religiose, vtinam digna æstimatione perpendas, quanta immerenti tibi dona, diuinitus obtigerunt: à mundo, in cælum; à perituris, ad æterna; ab humanis, ad diuina, singulari Dei vocatione, electione, destinatione translatus es: nõnne sceptris & tiaris, regnis & imperijs tanto ista digniora, quo sanctiora, certiora, diuturniora sunt atque diuiniora? Disce ergo, & mente memori reconde, quo sanctuarij pondere, quæ æquitatis lance, te rerum æstimationem librare conueniat.

AA. 5.

Philip. 1.

Rom. 5.

Luc. 10.

Matt. 5.

Luc. 10.

S. 3. *Quid sit mentis oculos in quouis euentu ad Deum conuertere, & quasi ab illo sic eum excipere.*

Verbo dicam; non aliud hoc est, quam mentem gerere in Deum suspensam, & de rebus alijs, hominumque voluntate tam parum sollicitam, vt nihil nisi solum Deum cogitet, cetera omnia contemptui habeat: indeque qui eiusmodi est, in quouis, & quantumuis aduerso, improviso, infando rerum casu, despectus creatis causis, nullaque vel iustitia illarum, vel iniustitia ratione habita, vniuersum mentis cogitatum, pio impetu transfert in Deum, eoque in euentu, nec aliud, nec aliter vult, quam voluerit & velit Deus; quem quoniam omnia, & iustissimè, & sanctissimè velle nohit, sibi quoque placere debere cognoscit, id quodcumque voluissè Deum, vel permisissè videt. Scit verè & subtiliter dixissè S. Augustinum, *Non fieret malum, nisi sineret Deus, nec vtique nolens sine, sed volens: nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Ergo seu volentem, seu permittentem, semper autem benè volentem, benè permittentem, & ex omnibus elicentem bona multa, Deum intuetur, suamque voluntatem & cupiditatem, illius decretis & rationibus adiungens, ei que humillimè obsecundans, ab eo suscipit æquissimis animis omnia, in eius denique honorem sanctissimè refert omnia. *Enchirid. c. 101.*

Neque verò in hac sic intellecta doctrina, quidquam est quod nos merito remoretur, si tamen quid apparet, discutietur in progressu. Id verò magis arduum est, qua via ad tantam animi è solo Deo apti celsitatem tranquillitatemque veniatur. Sequamur igitur quod tutissimum certissimumque esse necesse est, vestigia Sanctorum: cum enim eò pertigissè plurimos eorum constet, eadem si constanter via pergemus, eundem nos quoque perfectionis apicem attingemus.

S. 4. *Sanctos omnia velut à Deo excepisse.*

Ne quid eorum quæ dicenda supersunt, merito reuocetur in dubium, antequam aggrediamur ad explanandum, quomodo Sancti, & quibus ducti rationibus, id exercuerint, prius firmandum est, eos re ipsa tamquam à Deo omnia suscepisse. Et ne per plures in infinitum vagemur, duorum illustrium, quique omnium instar sint, commemoratione rem concludam.

Primus occurrat nobis magnus ille Iob, patientiæ & innocentia eximium exemplar. Hic, cum certis nuntijs accepisset, à Chaldaeis & Sabæis bona sibi direpta esse; igne cælitus fulminato, quod reliqui fuerat absumtum; repentina domus ruina filias & filios, miserando leti exitu, obtritos iacere; an succensuit

Chaldæis, an in Sabæos exarsit, an Satanam inculcavit, an quemquam imprecationibus dirisq; deuovit? quin immo, o patientiæ, o humilitatis, & adhærentis Deo mentis exemplar! *Corruens in terram non deiectione, non desperatione, sed placida summissione mentis corruens adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Itane verò, beate Iob, Dominus abstulit, quod Chaldæi & latrocinia abstulerunt? Domino placuit, quod Satanarum, quod calūniator, quod insidiator subdolè fecit? putasne, non ad insipientiã uerbum hoc tibi recensetur? non sanè. nam audi quid Spiritus S. loquatur & iudicet: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Sed & iterum ab eodem Satana percussus uicere pessimo, à planta pedis usq; ad verticem capitis, *Si bona, inquit, suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus ergone de manu Dei suscipis, quod tibi venit de manu diaboli? ita planè suscipis nos autem quod de Superiorũ manu prouenit, si paulò durius est, si à uoluntate nostra discrepat, de manu Dei non suscipimus, alia omnia nobis fingimus.* At qui S. Iob attestatur S. Scriptura, *In omnibus his nõ peccauit Iob labijs suis.* Nõ peccauit ita loquens, tu ergo quid putas? aduersa, illiq; pugnantia cum loqueris, cum alia omnia & sentis & facis, an peccato immunis, & quasi innoxius euades? Sed ut mireris magis, mirandoq; imitari coneris, audi quanto sermonis & sensus pondere, iterũ ille idem, tantò post, hoc ipsum asseueret dicens: *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatẽ, nec lingua mea meditabitur mendaciũ. Quam certus est, iniquitatem le non loqui, dum loquitur, sibi à Deo amaritudinẽ prouenisse! quam fortia, patientis & à Deo pendentis uerba sunt, comprobata factis!* Quæ ut penitiũs penetres, accipe quid eodẽ spiritu plenus, Magnus ille Gregorius, in hæc ipsa scribat: *Ista que patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponẽte restatur, nec tentatori suo, amaritudinis sua potestatem tribuit, sed auctori. Scit namque quia diabolus, licet afflictionem iustorum semper appetat; tamen si ab auctore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus conualescit. Vnde & omnis uoluntas diaboli iniusta est, & tamen, permittente Deo, omnis potestas iusta. Ex se enim tentare quoslibet iniuste appetit, sed eos, qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, non nisi tentari Deus iuste permittit. Vnde etiam in libris Regum de diabolo scriptum est, Quia spiritus Domini malus irruerat in Saul. Vbi iuste queritur; si Dominus, cur malus? & si malus, cur Domini dicatur? Sed duobus uerbis comprehensa est, potestas iniusta in diabolo, & uoluntas iniusta. Nam & ipse dicitur spiritus malus, per nequissimam uoluntatem: & idem spiritus Domini, per acceptam iustissimam potestatem. Bene ergo dicitur, Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia etsi hostis sauit, qui ferire appetit, Creator tamen est qui eum ad aliqũd praualeare permittit. Sic ille Magnus, at è magno, ut uidetur, hæc ipsa hauit Augustino, qui cum Dei potestatem esse dixisset, inde hæc animaduersione dignissimè*

* 27.

1. 18. Mor.
6. 3.

1. Reg 18.

1. 5. de Civ.
6. 10.

subneſcit, Vnde quidquid præter ſuã volũtatẽ patitur homo, nõ debet tribuere humanis, vel angelicis, vel cuiusquã creati ſpiritus voluntatibus, ſed eius potiùs qui dat poteſtatẽ volẽtibꝫ.

Sed à B. Iob ad S. Dauidẽ, aduerſis multis eruditũ regem tranſeamus. nõne planẽ idem ſenſus eius fuit? filiũ rebellẽ, maximo in angore, fugiebat parẽs; prodiit Semei, abiecto, & ad extrema redacto inſultat, peſſimis maledictis inceſſit, indignationẽ irritando prouocat. vlcifci erat procliue, erat regi licitum, accendebant irã nepotes regij, vix manus à maledico cõtinebant, vnicaq; vibratione gladij caput impiũ demeſſuiſſent; ſolus regius nutus deerat: quid ergo? *Vadã*, inquit *1. Reg 16.*

A biſai, & amputabo caput eius. Et ait rex, *Quid mihi & vobis eſt filij Saruia?* dimittite eũ vt maledicat. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, & quĩ eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit? & iterũ, *Dimittite eũ, vt maledicat iuxta præceptũ Domini; ſi forte reſpiciat Dominus afflictionẽ meam, & reddat mihi Dominus bonũ pro maledictione hac hodierna.* Vide ſne, quibus verbis, quã expreſſim, à re peſſima in Deũ totus abeat: idq; quia in re peſſima, aliquid optimũ, peccatiq; tui pœnã, & amplioris gratiã recuperandã ſpem, ſolerti mente conſiderat? Sed S. Bernardũ mellifluẽ hæc ipſa tractantẽ audiamus: quod dũ facimus, Sanctos Sanctis addimus, nouoſq; antiquis, vna eademq; opera, conſentire demonſtramus. Ita igitur ille: *Parum eſt, inquit, cum hom. 34. in*

Can. per ſeipſum nos humiliat Deus, ſi tunc libenter accipimus; niſi, quando & per aliũ hoc facit, ſapiamus ſimiliter. Quã obrem accipite huius rei mirabile documentũ de S. Dauid. aliquando maledictum eſt ei & a ſeruo: at ille nec cumulatam iniuriã ſenſit, quia præſenſit gratiam. *Quid mihi, ait, & vobis filij Saruia?* O verẽ hominem ſecundũ cor Dei, qui ſe vlcifcenti, potiùs quã exprobranti, ſuccenſendũ putauit! Vnde & ſecura cõſcientia loquebatur, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã meritũ ab inimicis meis inanis.* Vetuit ergo prohiberi maledicũ conuiciantem, quaſtum aſtimans maledicta. Et addidit, Dominus miſit illum ad maledicendũ Dauid. Prorſus ſecundũ cor Dei, qui de corde Dei ferebat ſententiã. Sauebat lingua maledica, & ille intẽdebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicẽtis in auribus, & animus inclinabat ſe ad benedictionẽ. Nunquid in ore blaſphemi Deus? abſit: ſed eo vſus eſt ad humiliandum Dauid. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta ſapientiã ſua manifeſtauerat Deus, & idẽd dicit, *Bonũ mihi quia humiliati me, vt diſcã iuſtificationes tuas.* Hãctenus Bernardus: atq; vtinam ſic ad extremum vſq; patientes, ſic humiles, noſtris peccatis aduerſa omnia prouocari, à benigno Deo clementiſſimẽ immitti crederemus! tum ſanẽ, iuſtificationes Domini diſceremus, & benedictionem copioſam pro breui maledictione ſentiremus, nunc autem dum noſtram iuſtitiam ſtatuerẽ volumus, eam quã à Deo eſt, perdimus.

Qui S. Iob, qui S. Dauidi, ille idem Sanctis omnibus fuit ſenſus, idẽ fermẽ loquendi modus: nunquã illi quaſi lapidem mordentes, de tortoribus, de tyrãnis, de iniuſta cuiuſquam prodicione queſti: ſed aliũs inuenientes, de ſe tantũ & ſuis peccatis lamentantes, omnia ſibi à Deo iuſtẽ infligi reſtati ſunt: & quo ſenſu dixit S. Dauid, *Tibi ſoli peccauĩ; eodẽ, aduerſa quãq; ſoli Deo accepta retulerũt: ita ſanctus ille patriarcha Joſeph, ita Ieremias, Nehemias, Daniel, Machabẽi, & veterũ,*

re cen-

doctr. 7.

recentiorumque Sanctorum chorus omnis. *Patres, & Seniores nostros inuenimus,* ait Dorotheus. *huiusce virtutis fuisse studiosissimos, & minima quaque ac vilia, in Deum semper retulisse: quare in pace, otio, & quiete semper exstitisse.* Ita quendam refert, vitam annos per plures omni virtutum genere exercitissimum, cum ei aliquando roganti in cibum pro melle amurea infusa esset, aliquid tacitum comedisset, cetera reddidisse, cumque is cuius errore id acciderat, re cognita non mediocriter commotus, veniam ad pedes accidens, postularer, blandissime respondisset. *Noli turbari, fili, si me Deus mel comedere voluisset, mel infudisses: quod Domino placuit, hoc factum est.* Ecce, quod nos impatientes vocamus calum, damnamus errorem, (& re vera casus, & error est, illi qui sic agit proximè) hoc vir sanctus qui Deum ferebat in oculis, qui à Deo sua regi omnia, illi se curæ esse credebat, Dei voluntatem nuncupabat. & sanè ita fuit: quippe si in mentem famulantis immisisset Deus, ut attentiùs exploraret, amureane esset, an mel, nõne longè fecisset minus, quàm cum istius virtutis ea documenta posteris reliquit? Et verò exilimandum est, decere & necessarium esse, ut quemadmodum in diuinam potentiam, ita in diuinam prouidentiam, minima quæque referantur: idque quo maiore fiducia fit, eo magis diuinæ bonitatis amor, ut nobis inuigilet, prouocatur: Oculum Domini in iustos, & aures eius in preces eorum. *Quis sperauit in eo, & contulit ei? quis cogitatum suum in eum iactauit, & enutritus nõn est? Tantum qui exaudiuit & obtinere merebitur,* ait B. Isaac, *quantum vel inspicere à Deo, vel Deum crediderit posse prestare.* Iustumque est ut pro modo spei nostræ, modus quoque sit prouidentia: tuque qui mihi permissiones, qui errores crepas, permissionibus erroribusque relinquis. Sed de his paulò post:

Cass. col. 9. c. 32.

At quia durus videtur sancti Davidis quem laudauimus sermo, quo dicit Dominum præcepisse Semei, ut malediceret Davidi, iteratoque repetit ut imitatur maledicere, iuxta præceptum Domini, quasi si maledictum & peccatum præcipere, aut posset, aut vellet bonus Deus; ne quis in errorem abducatur, & quoniam semper expedit, ut virtuti comes eat veritas; quis eorum verborum sit sensus edisseram.

in 2 Reg. c. 16. q. 11.

Primus & verus intellectus est, quem Abulensis in hunc locum tradit: Ideo dici viderique Deum præcipere & facere malum, quia nullo modo fieret, nisi id faciendi occasionem offerret Deus: occasione enim rerum agenda, vel præbere, vel tollere, Dei potissimum est; illas verò non in malum, neque propter malum, sed in bonum, & propter bonum & rectum præbet; eiusmodi tamen è quibus (cum in vtrumque flecti possint) à malis hominibus mala perpetrentur. Atque ita, occasionem mali peragendi, non ut peragatur, sed ut ei oblitatur, caueatur, & expugnetur dante Deo; certaminis & victoriæ materiam, in ruinæ & cladis offensionem, humana immutat infirmitas, & vnde victrix coronari debuerat, inde malitiæ illecebris inescata, æternæ damnationi fit obnoxia. Certè, non quia victa est, pugnare non debuit, sed quia vincere, quia coronari, quia

beati decuit, pugnare debuit: at, si in pugna cecidit, num idcirco agonoetheram, vel stadium certamini ponentem, in culas?

Alter verborum antè relatorum sensus est, vt dicatur Deus facere, vel præcipere, quod facultas aliqua creata facit aut præcipit. Cùm enim nulla sit potestas nisi à Deo; si aliqua potestate aliquid fit, fit potestate quæ à Deo est, & ita fieri videtur à Deo: id enim ab aliquo fieri solet dici, quod fit ab eius potestate, ipso sciente, permittente, & nolente impedire cùm possit. neque tamen ideo culpæ (si qua intercedit) fit affinis: tunc enim solùm, in eum qui non impedit, redundat culpa, quando etiam debet impedire; hîc autem nequaquam debet Deus, sed creaturas ordini posito, & suæ libertati relinquens, iustissimis & præstantissimis de causis, occasiones & potestatem variam sufficit, iudexque vel ad pœnas malorum, vel ad præmia bonorum inuigilat. Inde factum vt in eiusdem rei de eodem Dauide narratione, scribatur; *Addidit furor Domini irasci cõtra Israël,* ^{2. Reg. 24.} *commouitq; Dauid in eis:* quasi si ipse Deus iratus id mouisset, cùm potestatem tantùm fecerit mouendi & perlicendi Dauidis per malignum spiritum; nam alio loco res eadem alijs planè verbis describitur, *Consurrexit Satan contra Israël,* ^{1. Paral. 21.} *concitauit Dauid vt numeraret Israël.* Ecce quod ibi Dominus, hîc Satan fecisse dicitur, nempe quia iniusta sua voluntate, aliena iusta potestate abusus est.

Consentiunt hi duo intellectus & veri sunt, ijsque locis adaptandi, qui narrando, vel asserendo loqui videtur, vt cùm dicitur exæcere vel obdurare Deus. At, cùm illius ipsius qui mala inflictæ patitur, verba referuntur,

Tertius est quem potiorẽ, & in hoc Dauidis, alioque simili quouis facto veriorẽ puto: nempe sanctum illum, verique pœnitentis exemplar regem, in sua illa angoris & mœstitiæ plenissima fuga, peccati cuius pœnas lueret apprimè memorem, omnè cogitationis vim in sui peccatoris detestationem quasi exhaustisse; se reum, se homicidam, se maledictis, diris, & quibusvis pœnis esse dignissimum, contrito clamasse corde: dumq; sic totus sui odio exardesceret, procedente maledico Semci, nihil aliud nisi iusta, nisi suis peccatis debita, ipsum loqui credidit, & in beneficio reputans quòd hoc pati daretur, se virum Belial, se præuaricatorem legis, se virum sanguinum affirmabat: O Nathan, Nathan, inquebar, quàm verè prædixisti: En mihi reddit Dominus in oculis solis huius, quod in abscondito peccaram. Mea illa peccatoris hora fuerat: nunc tua, Domine, iudicis est hora: in illa peccatum sponte admisi; in hac nõnne peccati pœnam sponte suscipiam? Iustus es, Deus meus, & iusta iudicia tua, iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris: maledicant homines, & tu benedices; persequantur illi, & tu in pace me suscipies. Amplius, Domine, ab iniquitate mea laua me, à peccato munda cor meum: En peccatum meum contra me est semper, à cogitatione non recedit, præ illius amaritiæ dulcescunt cetera. Misere mini mei vos saltem amici mei, & exulceratum cor nouo dolore ne lancinate! Filij Saruiz, quàm mihi crudeles estis! dolor meus, peccatum meum est; gemitus meus, homicidium est.

est à me perpetratum. Et etiamnum à me hominem occidi postulatis? in eadem iterum me dolorum voraginem præcipitatis? Ita ego in flagella paratus sum? ita iusta flagella excutiam? non ita, non ita, mi Deus, sed dorsum meum ad plagas incuruabo, parebunt aures ad conuicia; iucundum erit, quidquid expurgando peccato deseruiet: erit hæc mihi consolatio, si affligens me non parcas, donec ut peto, ut spero, omnes iniquitates meas deleas, aterrimumque peccatum meum super niuem dealberur. Itaque cum sanctus ille rex nihil de peccato Semei ne quidem suspicando cogitaret, at in suo detestando, in luenda pœna, in maculis abluendis totus esset, quid mirum si maledicta quasi iustè dicta, & meritissimo illata, ipsumque Semei quasi diuinæ iustitiæ administrum intuens, idque vnum animaduertens, hunc instar eius habeat qui summi iudicis mandata exequatur, iusteque iniunctam sceleris pœnam reposcat?

Quin, ut ab hoc, ad alios quoque progrediamur longius, videtur necessario fatendum, similem Sanctorum omnium esse mentem, quando cumque Christi Domini nostri nomine, supplicia, pœnas, infamiam, crucem, martyrium & mortem exoptant: hæc enim, prout cum peccato inferuntur, optari nequeunt: sed nihil de aliorum peccato cogitantes, patiendi verò desiderio, & diuinæ gloriæ zelo incensî, vel ea si absint concupiscunt, vel si inferantur & quando inferuntur, non ut peccata & Dei offensam cogitant (sic enim & respuerent & dolerent); sed cum ingenti gaudio, ut cœlestium coronarum materiam, ut quandam afflictissimi Domini sui societatis tesseram, summi beneficij loco excipiunt, indeque quantas possunt, ob tantum donum, Deo gratias agunt. Sic enim aliquando se probè norunt edoctos, Non esse seruos maiores Domino suo. Si de mundo fuissent, amaturum utique mundum quod suum esset: gauderent & exultarent quotiescumque persecutionem paterentur, omneque in eos contumeliarum genus mentiendo iactaretur: gauderent verò, non quia peccaretur, at quòd merces copiosa esset illis reposita in cœlis. Verùm, quid Sanctos memorare est opus? ipse etiam Iesus Christus Dominus noster, qui ad hoc in mundum venit, ne peccatum regnaret in nobis, cum sciret & præsciret, quanto cum Iudæorum flagitio esset illi mors inferenda, nonne tamen illius desiderio flagrauit? traditori a lacriteriuit obuiam? traditus est, quia ipse voluit? vixque aliquid vnum æquè commendauit, atque dolores & mortem à se fuisse voluntate susceptam, non autem necessitate toleratam? an sic pati voluit, sic elegit, ut illi peccarent? absit: sed ut ipse patiendo, peccata mundi, immaculatus Agnus, tolleretur. numquid sine peccato aliorum? nequaquam: cure enim, vel bonum fuisse traditori si non nasceretur, vel minus Pilati quàm tradētis peccatum assereret, vel crucifigentibus à Patre ignosci postularer? at mortem & cruces exoptando, solam patientiæ materiam, peccati euerfionem, hominum salutem, diuinæ gloriæ inde amplificandæ maxima incrementa, ardentissima caritate sitiebat: & licet non absque multorum grauissimo peccato id futurum præuideret, grauissimas & iustissimas eos si

bi relinquendi, eaque peccata, quæ ex aliorum improbitate veniebant, permit-
tendi rationes habuit: exemplumque nobis præbuit, vt quemadmodum ipse
fecit, ita faciamus & nos; si patientiæ, fortitudinis, virtutumque Christianarum
exercendarum occasio sese offert: qua ceterorum mente id fiat, nihil pensi sit
nobis, id verò nos quàm sollicitos habeat, qua mentis æquitate, quo veræ perfe-
ctionis ardore perferamus.

Sed hunc locum grauissimis concludo verbis B. Ignatij, quæ nos doceant
quanta moderatione prudentiæ sit vtendum, vt neq; vitandi peccati specie, du-
ra fugiamus; neque nimia auiditate patiendi, peccandi occasionem alijs porriga-
mus. lic igitur B. Pater; *Qui procedunt in spiritu, & seruiò Christum Dominum sequuntur,
amant, & ardenter exoptant, indui eadem veste & insignibus Domini sui, pro ipsius amore
ac reuerentiæ: aded vt si sine offensione vlla diuina maiestatis, & absque proximi peccato foret,
vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi & existimari (nul-
la tamen ad id per eos data occasione) eò quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo
creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus & insignibus indui,
quandoquidem illa ipse propter maiorem nostrum profectum spiritualem induit: nobisquæ
exemplum dedit, vt in omnibus, quo ad eius fieri poterit, diuina gratia adspirante, eum imi-
tari & sequi, cum vera sit via quæ ducit homines ad vitam, velimus. Ipsissima hæc sunt vi-
ri sancti verba, quæ vtinam penitius animo infixæ teneamus.*

S. 5. *Quid Sanctos in ea mente confirmarit.*

Plura sunt quæ nobis persuadeant, sic esse animum in rebus aduersis compo-
nendum, vt diximus: leuiores omitto, & subinde in huius commentarij transcur-
su obiter nonnulla notabuntur: pauciora & efficaciora quædam ex professo ex-
planare conabor. Ac primum,

Quomodo rerum naturam contemplantur.

Solent viri sancti, animi oculos in Deum defigendo, omnem eam quæ oc-
currerit, euentuum & rerum complexionem cum physicis causis & connexis,
magna mentis æquitate intueri, persuasum illud habentes, nihil vnquam euen-
turum, nisi quod diuinæ prouidentie benignissima caritas prouiderit in maius
ipforum bonum cessurum, & in diuinæ gloriæ amplificationem futurum, dum-
modo diuinis iudicijs suæ voluntatis desideria subiugare contentur, tantaque a-
nimi demissione cuncta excipere, quæta ipse consilij perfectione permittit. Hoc
autem vt faciant, totam mentis aciem in Deum intendunt; illum solum, solam e-
ius vim & potentiam, solui quem sibi ex talire præfixit, finem assequendum
cogitationi obijciunt.

Sap. 11.

Huic autem suo proposito, eo firmitus adherescunt, quod totius naturæ cursum, & diuinarum permissionum vim, longè aliter, quàm vulgus hominum contemplantur. Cum enim passim naturæ, ordini, efficaciarumque causarum tribuant plurimum, & re vera si eas in se ipsis perspicimus, mirabilis in illis energia replendet: viri sancti, qui res nullas solitarias ad spectare, sed in Deum omnia referre consueverunt, parui admodum eas ducunt: etenim *tamquam momentum stateræ, sic est ante Deum orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, que descendit in terram.* Quare istis despretis, ad rerum omnium auctorem, ordinis institutorem, efficaciarumque datorem Deum oculos conuertunt, videntque tantam ab initio fuisse diuinæ mentis perspicaciam, vt non humano more indiderit rebus vim quandam, vel causas causas ita implicuerit, vt ex eis suo deinceps impetu sese volentibus, non præuisus effectus emergeret: sed cum omnino ordinis, totiusque causarum colligationis vim pariter & effecta complexa esset, finem sibi præstantissimum posuerit, eumque sic, vt eò non ad extremum tantum, percurtis illis causis, longaque rerum serie exhausta pertingeret, sed ita vt in singulis, quæ intermedio in cursu labuntur, nihil aberrans, nihil vanum, nihil à dignitate sua, ab utilitate nostra esset alienum. Hæc autem pro certo sunt, sic ab illo constituta esse, vt nihilominus omnia semper eius potestati perfecte subsint, eius nutibus vis omnis creata famuletur, absque eo neque esse neque operari valeant, prima, sit & nobilissima, & efficacissima rerum omnium causa, cui aliquid volenti ceteræ obsecudent omnes: vt non sit de Deo dicere, Legem sibi posuit, qua tenetur, & non præteribit; quasi si magnum, aut arduum illi foret à consuetis recedere. Hoc ipsum experientia testatur multiplex: nonne vbi libuit Sanctorum causa feras mitigauit? vrsos & leones asinorum more famulari iussit? draconum & aspidum virus innoxium reddidit? nonne aquis, vel ut igne, ligna succendit? vndas, ne fluerent, instar crystalli durauit, vel (quod maius est) nec duratas, & fluentes, Sanctorum vestigijs calcandas præbuit? quid? quod ad preces hominum, defunctos quinetiam reuocauit ad vitam? verbo dicam, nonne totius naturalis machinæ, vel mutauit, vel vertit ordinem, quando vt Israelis hostes internecone deleret, vt sanitatem Ezechia (in quo quid magni est, nisi quia libuit? & nisi factum testarentur sacri codices, quanto consensu, nos prudentuli homines, id tantum, tam leui causa factum, negaremus?) sed nonne etiam vt sanitatem Ezechia reddendam testaretur, cælorum ipsorum cursum vel præcipitantem inhibuit, vel prouectum ad transacta reuocauit? quid ergo ad rerum naturas expanseimus, & non toti à Dei nostri potestate pendemus?

Ad hæc cum totus hic naturæ ordo, & quidquid in hoc rerum ordine euenturum est, securæ aternitatis comparatione, vix, licet sæcula plura complectatur, breuissimi momenti instar sit, sicque perituum aliquando, & in meliorem statum transmendum, cumque omnium quæ hoc mundo, hac vita nostra continentur, nihil propter se factum, nec propter se, sed propter diuinam & æternam

nam gloriam sit expetendum; hinc planè, & ex ijs quæ dicta sunt, efficiunt Sancti, vt quando omnia quæ in natura & à natura sunt, ordinatione, subiectione, destinatione, in singulis, & per momenta singula à diuina manu liberè pendent, diriguntur, mutantur, aut perseuerant, naturæ rerum, causæque proximæ neglectui habendæ sint; in eum verò qui auctor & gubernator supremus omnium est, tota spes nostra, vel expectatio, vel consolatio conferenda est. En igitur quàm sanctiore & sapientiore oculo Deum, non quidem sublatis, at contemptis rerum naturis, perpetuò intuentur Sancti.

Aliud etiam est, quod minùs obseruatum reperio, & ijs quæ dicta sunt inheret: posse videlicet eum qui Deo fidei, piè ac sanctè existimare, se singulariter in spe constitutum, regi se à Domino, nihilque ipsi in rebus naturalibus, longèque minùs in alijs, de fore: sæpeque ac sapiùs bonum Deum, vermiculi minimi, inutilissimi homuncionis causa, multa in cursu rerum consueto mira; sed in obseruabilia patrare; vnde illi tanto maiore gratia obstringatur, quanto crebriùs & liberaliùs, tot beneficia, non agnoscenti conferuntur. At quaris quæ ista mira sint: ea intelligo, quibus benignus Dominus naturaliter lenissimeque, nulla vi illata, instantem ordinem auertit & immutat ne fortè aliquid noceat. Et quoties credendum est ista euenire: quum D. Augustino viæ dux aberrauit, eoque errore, insidias inimicorum, quibus oppressus fuisset, effugit: annon à Deo fuisse credendum est: quoties, in mentem ea cogitationes non incidunt, quæ nocerent: ea consilia non sequimur, quæ periculo videantur carere, & tamen corpori animoque perniciosa essent? quod volebamus & poteramus non agimus, idque bono nostro cessisse deprehendimus? quoties vel celeritate, vel tarditate sola, vel improuiso quodam casu, casus graues, & grandia pericula euadimus: numquid non optimi Dei nostri sanctissima prouidentia, id totum acceptò ferri debet? Et hæc quidem, quia interdum apertè notamus, frequentissima esse, credere meritò possumus. Exempli gratia, quid me verat, si domi mansero, id existimare curasse Deum, ne in furiosum, ebriosum hominem, sternacem equum, saxi cadentis ruinam, vel peiorem casum inciderem? si domo abiuro, quid prohibet, id putare factum, ne domi desidens, in iram, in graues tentationes, in peccatum aliquod laberer? si datur, si negatur aliquid, si memores aut immemores alienius sumus, si valemus, aut non valemus, denique quidquid accidat, quàm facile, quàm iucundum est, ex aliqua boni specie, in Deum suum se promissimè suauissimeque conferre? Certè vniuersa hæc totius mundi machina, & omnigenarum rerum atque causarum implexus, permagni & ordinatissimi cuiusdam horologij mihi speciem præbet, cui sapientissimus, idemque optimus moderator Deus præsidet, potestate, sapientia, arte tanta, vt nihil ordinem debitum exire patiatur: possit autem, ordine communi nequaquam perturbato, occultæ cuiusdam in ista machina causæ, quasi rotæ, leni & inaspecta conuersione efficere, vt quod ipse voluerit, (& aliter futu-

futurum non erat) non quasi ab ipso, sed quasi sponte ab ipsis rebus emergat. Cumq; & singula illa praeuideat, & semper in manibus habeat, & sit illi facilimum: qui omnia vnus electi causa fecit, vt diximus, omniaque illi famulari vult, is etiam illi vbi opus fuerit, vbi etiam vtilius, aut iucundius; eiusmodi plurimas nobis incogitatas rerum & causarum conuersiones progignere credendus est, eoq; plures, quo magis & plenius, se totum, resque suas omnes, diuinae prouidentiae, quae suorum sollicita curatrix est, regendas commiserit. Ideo tam frequenter, tam multa praeter spem & opinionem accidunt, vt agnoscant vim aliquam superiorem rebus omnibus inuigilantem, & praesidentem; ideo multa temere admodum suscepta fortiuntur felicissimos exitus; multa quae disiecta & desperata videbantur, derepente eriguntur, firmitur atque stabiluntur.

Id autem beneficentiae & prouidentiae genus, gratissima nobis mente prosequendum esse cenleo: non solum quia crebrum, quia maxime necessarium, quod enim miseris nobis fieret, si qualuis aduersus nos inimicas potestates, suis viribus, occasionibus abuti pateretur Deus? quam aegre nostra tanta, vel ad efficiendum infirmitas, vel ad prouidendum caecitas, etiam aemine oppugnante, Deo tantum non singulariter opitulante, consequeretur oprata. Verum non hoc solo nomine illa beneficia maximi facio, sed illis ipsis quae miracula dicimus, quadam ratione maiora puto: quippe mirandis ipsis eo mirabiliora sunt, quo leniore sapientia, addam & difficiliore peraguntur. Etenim nemo est qui non libenter, & prolixè id sit daturus, quod licet omnia Deo facilia sint, pro nostro tamen intelligendi captu & modo, id illi facilius factu videtur, quod ipse solus solo verbo facit; quam quod alterius repugnantis, vel ad id non propensa, suauiter tamen inclinandae causae, quasi ad miniculo faciat; est enim hic, & ipsa causa altera flectenda, & sic flectenda, vt non coactè, sed sponte, in eam partem deuerget. Itaque si egestati tuae, pecunia subito creata subueniat Deus, vel si auari diuitis in mentem immittat, vt de suo sit in te liberalis: itemque si ab aegrotante, omnem momento inualetudinem depellat, vel summa minus conueniente portione te sanet; quis negare audeat, hoc postremum beneficium, aut alteri nihil concedere, aut quadantenus illustrius videri, non quidem quod infuerit, sed quod verè & recta ratione dignum est aestimantibus. Sin autem haec tanti quanti merentur fecerimus, erit cur incredibilem, erga beneficentissimum Deum, ingratitude nostram lugeamus: plurima enim sunt, quae ab illo in nos, ista via creberrimè profluunt, & iam vel assiduitate viluerunt, vel mentis nostrae nimia ignoratione nesciuntur. Gratiam à liberalissimo Domino flagitemus, qua ipsius beneficia perfectius agnoscamus, debitumque bonitati tantae obsequium, ardentè & perseveranter exhibere possimus.

Vniuersam itaque rerum naturam, causarumque implexum quando contemplantur Sancti, magna in Deum fiducia, magno eius amore succeduntur,

totis viribus connituntur, vt quouis in rerum euctu, nihil penitus nisi se Deum-
 que suum cogitent: à sollicita verò virtutis cura, qua maximè tanguntur, alie-
 num putant animaduertere, qui sint qui malum inferant, qua voluntate vel mo-
 do illud inferant; quibus à cogitatis omnis perturbatio exoriri solet. De seipsis
 autem cogitantes, duo quædam inabruptè & perpetuò reuoluunt: Primum, vili-
 tatem & indignitatem suam, ob peccata, imperfectiones & socordiam, quæ di-
 uinam maiestatem prouocant, & ob quæ flagellis irruentibus pauca se luere, plura
 commeritos profitentur, de quibus manu paterna salubrem correctionem, cū gratia-
 rum actione suscipiant. Alterum, quod menti Sanctòrum insidet, est exercitij vir-
 tutum, perfectionisque desiderium, spes & amor ad æterna translatus & inhiās,
 temporaria contemnens, lucra & damna eodem vtraque loco ponens, id solum
 magni faciens, quod ad æternam beatitudinem conducere videtur: ad hanc, &
 ad Deum suum, se ipsos, sua omnia, euentus omnes referunt. Deum autem respi-
 ciunt, vt sibi præsentem, fauentem, prouidentem, & in fines optimos, ea omnia
 quæ ipsius voluntate vel permisso fiant dirigentem. Atque ita ex hisce tribus,
 nempe æternitatis, Dei, & sui, cogitatis summa in animo tranquillitas perma-
 net, nihilque quacumque in re, seu bona, seu mala, nisi sui expiationem, perfe-
 ctionem, exercitationem, æternitatis lucra, Dei iudicia, Dei que gloriam, boni-
 tatem voluntatemque speculantur. sic ergo naturam totam contemplantur
 Sancti. At quo permissiones loco habeant, superest vt dicamus.

§.6. Quid sit permissio, & an aliqua permittat Deus.

Deum aliqua permittere ita notum est & certum, vt neque ratione, neque fi-
 de Christiana negari possit: execranda quippe blasphemia est, quamque pia au-
 res exhorreant, Deum, ita malorum vt bonorum, facere auctorem: quod quan-
 do dicere ausus es Caluine, quis tibi tantum audacissimi furoris inspirauit? ita-
 ne verò, vt tu vilis & nihili homuncio, Deo summo bellum inferas? è cælis detra-
 ctum humi affligas? pro Deo caco-dæmonem facias? tu verò cum tuis istis bla-
 sphemis vocibus in malam rem abito, & cum auctore mendacij, patre peccati,
 malorum auctore, quantum voles, imò quantum noles, permaneto. Viderint
 interim doctrinæ tuæ, cetera sectatores, hoc vno tamen dissentientes, quàm mè-
 dace, quàm blasphemò, patre te gloriantur: quanto veriùs crederent, si ex co-
 dem ore spiritum mendacij, & spiritum veritatis prodire non posse crederent!
 Nos verò cum sancta Ecclesia, docente sancto Spiritu, còstanter asserimus, quo-
 niam Domine non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus: nec
 summam bonitatem villo pacto peccato affinem esse conuenit. Permittis igitur,
 at nequaquam committis peccata.

Vulgus quidem hominum, penitus in rerum intima ire nõ assueti, permissio-
 nes diuinas leuissimè transilire, & vt vox ipsa idem cum humanis permissionibus
 sonat,

sonat, ita eodem modo interpretari videntur, habereque instar humane permissionis, quæ otiosa nihil agit, agere volentem non vult impedire, & quia non impedit cum possit, propterea dicitur permittere. Ex hac verò opinione, obmurmurationes, impatientiæ, odia, vindictæ, execrationes, plurimæque perturbationes, in eos qui alicui aduersæ rei causam dederunt, excitantur, nihilque est quod turbatam mentem componat, cum omnis illa irarum debacchatio & fatuities, nihil ad Deum spectare, in solam creaturam liberè profundi creditur. At quid totum quod isto permissionis verbo complectimur, non esse otiosum, multa quæ diximus probant, & nunc demonstrabitur plenius.

Quotiescumque diuinitus aliquid permittitur dicimus, quatuor sunt quæ datur distinctè animaduertere: Primū, voluntatem permittendi. Secundū, causam permissionis, seu cur velit permittere, quæ semper complectitur rei permittæ destinationem in certum finem. Tertium, cooperationem diuinam cum creaturæ actione quam permisit. Quartum, quod ad Deum non attinet, est in rebus naturaliter agentibus, error; in ijs autem quæ cum culpa fiunt, prauitas à recto aberrans. Hæc singula obseruare quilibet potest in passione, & sacratissima Iesu Christi Domini nostri morte: iustissimè enim & sanctissimè illam permittere voluit Deus. Secundò, rem eam permittam, in humani generis redemptionem, diuinæque gloriæ maximam illustrationem ordinauit Deus: Tertio, vt prima causa cooperetur est secundis; cum flagellaretur, crucifigeretur, sanguis efflueret, vitæ fomenta deficerent: ô incredibilem in peccantes & errantes amorem, tanti vt eos redemptum ireretur, quod postremum est, eos dolores omnes, & percerba vulnera, atrocissimi Iudæi Creatori & Redemptori suo, per summum seculum infligebant. Percurre permissiones ceteras, idem faciliè per singulas obseruabis. Atenim resumenda sunt nobis hæc, & distinctius euoluenda.

Ac primo pro certo sumendum, duo esse rerum malorum genera: earum vnum, quæ ideo malæ dicuntur, quia molestiam, dolorem, iacturam, infamiam aliquam inferunt, vt morbi, vt mors, vt quæcumque aduersa, quæ tamen recto sapientium iudicio, neuiquam mali nomen sortirentur, sed amaræ potius ac saluberrimæ medicinæ, quam nobis amica Dei manus, arte magna miscuisset. Huius autem generis malorum, nemini dubium est, quin auctor esse possit Deus, quandoquidem illa nihil habent quod non eius iustitiam, bonitatem, clementiam maximè deceat: quare de malis eiusmodi loquens Propheta inquit,

Amos 3.

Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit? Ideoque historicorum, atque adeò omnium hominum is esse solet sensus, vt omnem impietatis iustam & terrificam pœnam, Deo iustitiæ vindici tribuant.

Alterum genus malorum est, quæ culpa & peccato inficiuntur, ideoque verissimè & præ ceteris mala dicuntur, & ab optimo Deo quàm longissimè submoventur: adeò vt, ne quidem actiones cum peccato coniunctas, peccatiq; lepra sordidatas voluisse Deum dicamus. Quare fortiter & apertè loquitur D. August.

art. 10.

art. 10. de falso sibi impostis: *Detestanda & abominanda opinio est, que Deum, cuiusquam mala voluntatis, aut mala actionis, credit auctorem, cuius predestinatio nusquam extra bonitatem, nusquam extra iustitiam est: vniuersa enim via Domini misericordia, & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum, non instruere nouit sancta diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium, predestinatio Dei, aut excitauit, aut suauit, aut impulit: sed plane predestinauit iudicium suum, quo unicuique retributurus est prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Et omnis homo, quem discretio diuina sententia in sinistra collocauerit parte, damnabitur, quod non Dei, sed suam executus est voluntatem. Et præclare art. 13. Nefas est Deo adscribere causas talium ruinarum. Quia et si aeterna scientia præcognitum habet, quid vniuscuiusque meritis retributurum sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo præcepto fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus, neque in tali negotio quidquam diuina voluntatis interuenit, cuius ope scimus multos, ne laberentur, de tentos; nullos autem, vt laberentur, impulsos. Et cuius usque adeo erunt aures impia, vt audire sustineant, actionem impiam & peruersam à Deo fieri?*

Est tamen in his ipsis actionibus discrimen obseruandum: sunt enim quædam natura sua eiusmodi, vt numquam ab intelligente & volente fieri aut suscipi sine peccato possint, quin penitus rationi repugnent, vt odium Dei, vt mendacium, vt percussio innocentis, & cædes Martyrum: hisce actionibus, numquam vt fiant, sed potius vt contrariæ, occasionem præbet Deus, at homines abutuntur & occasionem in peruersa detorquent: aduersa inmitit Deus, vt vel sic eruditi, à creatis ad increatum Deum amorem transferamus: at nos peruicaces, in indignationem, in odium Patris flagellantis erumpimus: vndenam id peccati nisi nostra ex malignitate prouenit: ita nonnumquam viros sanctos excitat Deus, vt in vitia acrius inuehantur, idque ad auditorum correctionem; at illi iras concipiunt, torquent, necant Sanctos, actionem eam detestatur Deus, & vt plurimum grauissimas in hac ipsa vita pœnas vltices reposcit: permittit tamen, vt sit tanto illustrior mors Martyrum, quam aliorum scelere illatam, & exosam, at patientissimorum virtute decoratam, vult, amat, diligit Deus, in conspectu cuius eo pretiosior est, quo maiore fuerit fortitudine & mentis alacritate tolerata. Præter has actiones, aliæ sunt quæ natura & genere suo bonæ sunt, at in eas foris alicunde, & extrinsecus quædam ab aeterna lege aberratio illabitur, ob quam solam vitiosæ sunt; ad has autem actiones, quales prima specie videntur, & natura sua solent esse, dicendum est nos à Deo incitari, & in eum illas, non tamen vt peccato contaminatas, merito referri oportere. Huius generis sit, quando Iudicem ad iustam latroni pœnam infligendam incitat Deus, & re vera infligit, at ex priuata vindicta; nihil vetat quin pœnam illam,

qua iusta est, in Deum, ut ab eo iuste profectam iure referamus, licet vindictæ & peccati aeternum illum, nullatenus in eum referre valeamus; nec videtur difficile, licet utrumque re ipsa sit coniunctum, vnum ab altero cogitatione separare; siquidem planè forinsecus, iustissimo scelerati supplicio, illicita vindictæ cupiditas de honestamento fuit. Hoc autem in ijs agnoscere proclivius est, quæ ex adiancto non penitus in vitium abeunt, qualia multa, bona mixta malis, conferuntur: datur eleemosyna, ieiunatur, oratur, at vana gloria subintrat, rarius est ut propterea illud opus omne vitietur; quod bonum est, à bono Deo est, & quia totum bonum est, totum à Deo est. nihilne ergo mali est, inquis: est planè, at extrinsecum illud est, foris que adplicitum, & peccatis voluntati, potius quam rei naturæ adhærescens. Verùm hæc alijs disceptanda relinquamus: ad eam, quæ in permissionibus est Dei voluntatem commonstrandam transeamus.

Et quidem cum ea omnia quæ verè sunt, verè velit Deus, cuius voluntate sunt omnia, & sine cuius voluntate nihil est, solum autem peccatum (quod improprie dicitur existere) velle non possit; permissiones verò nullatenus peccata sint; non est dubium quin permissiones, si quæ sunt, & quomodo sunt, velle possit Deus. At quomodo vult: ex comparatione humanarum dicam.

Permittere aliquid dicimur, quando id eventurum prævidentes, aut (si non certò præsentimus) timentes, non tamen impedimus cum possimus: nequaquæ autè impedimus, vel quia expressim volumus non impedire: vel quia animadvertentes posse nos id impedire, negligimus tamen, nihilque quod obster adhibebimus. Ad eò ut in omni permissione tria sint. Primum, ut prævideatur, quid futurum. Secundum, ut possit impediri. Tertium, ut non impediatur. Iam, certissimè est Deum prævidere perfectissimè omnia quæ sint futura: itemque posse quæ voluerit facillimè impedire: ac denique plurima non impedire, quæ autem non impediturus est, & futura sunt, ab æterno prævidisse. At non est, cur solummodo dicamus Deum negligere impedire, sed cum nequaquam æternus providentiæ oculus incertum fluctuet, necesse est asserere, eum ab æterno, cum prævidit, ad olim instare momenti quo res futura esset, nisi impediret, etiam sua iusta voluntate summa ratione statuisse, permissurus esset, necne: simulque, vel voluisse, vel noluisse permittere; vnde antea è D. Augustino retulimus, Deum, non vitæque nolentem, sed volentem, sinere ut aliquid fiat. Multa verò à nobis permitti quæ tamen nolimus, docet experientia, & postea dicemus.

§.7. Cur aliqua permittat Deus.

Tanta est summi Dei bonitas, adeoque illam decet peccatum omne auertere, exterminare malitiam, ut omnes pro confesso habeant, numquam illum mala permissurum nisi ut maiora inde bona eliceret: atque ita sensit D. August. ita consentiunt Theologi. Neque hinc est cur quidquam controuertamus. At quæ sit præcipua

*Enchirid. c.
11. & alijs
sapè.*

cipua permissionis causa, quæ si non esset, non etiam permitteret Deus, non est ad eò omnibus perspicuū: maximè quia recentiores nonnulli ita loqui videntur, ac si permissionum præcipua vis & ratio ad libertatem conseruandam esset, propterea quæ homo sit permittendus, & permittatur peccare quia liber est. Quam sententiam quia moribus, quia perfectioni, quia obedientiæ admodum noxiam video, nec fieri posse credo, vt earum, quæ ad Deum spectant, rerum veritas, virtuti repugnet, vel incommodet, omnino à scholis, & doctissimorum virorum disceptationibus explodi exopto.

Ac Primò, quidem similis vero videtur, etiam in illis quæ natura, & vi causarū cognitione carentiū sunt, quædam à Deo permitti, vt monstra & defectus nonnullos: cum autem harum permissionum causa nequaquam sit libertas, hinc salutem videas minimè esse necessarium, vt permissio ex ratione libertatis oriatur.

Secundò, verū etiā est, neque posse sine libertate peccari, neque sine permissione posse liberè peccari: quare omnè peccati permissionē naturæ libertate præditæ concedi, & quando conceditur, concedi libertati. At nequaquā propter libertatem concedi, sed ex aliqua alia ratione libertati concedi assero: existimòq; non tantum certissimum, sed & apertissimum esse, manente hominibus integerrima sua libertate, posse Deum nullum omnino peccatum permittere, quam in rem sexcentis illi viæ præstò sunt: posset enim singulos virtutis amore succendere, affluentis gratiæ copioso torrente omnia tentatoris tela restinguere; præmunire, præuenire, mentisque partes omnes ita insidere, vt in Deum perpetuò, & volens tota raperetur. Sanè, an non liberrimè, imò & propenso voluntatis impetu, tot viri sancti plures annos, vel etiam vitam totam letifero peccato immunem traduxerunt: tu quæ præ ceteris, puritatis diuinæ exemplar mundissimum Virgo Mater, quàm libera & incensa voluntate, ab omni peccati contagione, te femotam, diuina gratia opitulante seruasti! Nihil ergo libertati officit, si peccata non fiant: & quàm sæpe, & quàm multa peccata nostra impedit, vel non permittit bonus Deus, libertate tamen illæsa: quod nisi faceret, Deus bone! quanta scelerum colluies omnia permisceret! si impiorum non retardarentur impetus, si peccatoribus habentæ laxarentur, si illecebris ad peccatum non imponeretur modus, quis non omni flagitiorum genere spurcassetur?

Statutum igitur sit permitti quidem rebus liberis aliqua, at non propterea solùm quia libera sunt; sic enim essent omnia permittenda, neque permissio peccati libertati est necessaria: præterea à diuina bonitate videtur alienum, vt id eò solùm vel præcipuè peccatum permittat, quia peccans peccare potest, vel vt ostendat peccantem peccare potuisse, multoq; minùs vt ideo permittat peccatum, vt ipsum peccatum existat, vel vt puniendi iustam causam habeat: hæc enim sanctissimam & diuinam rationem omnino dedecent.

Cum verò quædam permittat, quædam non permittat Deus, cur hæc potius quàm illa permittat querenti, implexa & enodata difficillima quæstio est: non solùm

quia occultissima & abditissima sapientiae diuinae arcana vestigat, sed quod etiam plurima sunt, quae non intelligimus, an impediatur permissioe Deus. Sic tamen bonus est, & sic suam bonitatem nobis contestatam esse voluit, ut quamuis ipsarum permissionum initio causa lateant, ferme tamen in progressu rerum, vel saltem post omnia peracta, aut omnes, aut nonnullae praecipuae permissionis rationes pateant. Hoc in Iosephi, Dauidis, Danielis, Christi Domini, Sanctorum, & Ecclesiae rebus aduersis videas. Quae singula, & eiusmodi plura dicendo perquirere & asseclari non est meum: meum autem vel maxime est, ut quis vniverse sit praecipuus permissionum finis ostendam.

In quo certe nequaquam audio dicentes, propterea maxime Deum permittere, ut singula suae naturae, ordini constituto, & concessa libertati relinquat: licet enim quando permittit aliquid, res ordini suo, naturae & libertati relinquat, non est tamen haec permittendi causa; esset quidem, si Deus naturaliter & non voluntarie, vel si voluntarie at ex praescripto, aut cum difficultate, & ex infirmitate, ut nos, & laborioso molimine impediret, quae permittere non decreuit. At cum sit summus rerum omnium Dominus, cum naturis quasi deumctus obsecundare non debeat, cum quemcumque rerum ordinem sine perturbatione possit in alium flectere, cum libertati voluntatis non officiat si peccatum non permittatur, cum summa ipse libertate, summaque ratione cuncta faciat, in peccato vero summum in se malum, summeque diuinae bonitati, honori, maiestati repugnet, quis prudentissimum, potentissimum, optimum Deum, tam grande malum, tam leuibus, & euitatu facillimis causis permittiturum aut opinari? Itane vero? erit aliquod tam ferreum os ut sustineat dicere, vnigeniti Dei filij mortem, doloris & infamiae plenam, ideo maxime vel praecipue a sanctissimo Deo permissam, ut Iudaei suae libertati relinquere rentur? quis id causa, non dico in praecipuis, sed propè in minimis, tanta in re affert, aequo animo ferat? itane est Deo Patri digna causa, ut nequissimorum hominum voluntati torquendum exponat dilectissimum filium? quoties, ut mox dixi, vel ferae mansuerunt, vel aquae solidatae sunt, vel ignis elanguit, vel caeli cursus inhibitus, vel natura rerum immutata est, Dei Sanctorumque gloria sic exigente? Apagelis ergo istam, panem dixerim, blasphemiam; malum istud infinitum, tam leui ratione, quasi praecipua, permittendum ut existimes. Digniora sunt, & illustriora, diuinaeque sapientiae ac bonitati consonantiora, consilia suspectanda.

Hoc autem diligenter animaduertisse, ad id quod vrgeo, valet plurimum, quippe hinc fit, ut cum permissorum euentuum causam, non a natura, & libertate voluntatis quasi praerogatiua, sed a diuinis iudicijs, ipsoque creatore accedere consueueris, omnis queritandi materia sit sublata, certusque reddaris, iustissimas permissioni grauissimasque subesse causas, ac propositum esse iustum maximeque momenti finem, cui nos non refragari, sed suffragari conueniat. Si videas, e permissione peccatorum, quae in Christum Dominum admissa, quaeque

aliàs perpetrata sunt, magna diuinæ gloriæ incrementa, humano generi emolumenta, prouenire: nam bonitas, pietas, misericordia, liberalitas, potentia, clementia, sapientia, iustitia diuina, prouidentia, dilectio hominum, cognitioque Dei multiplex clariùs elucet: perficitur iustorum virtus, exacuitur fortitudo, coronæ augentur, martyrij stadium curritur: ac non rarò è singulis quæ permittuntur, utilitates & mirabiles variaz & plurimæ existunt; quarum nonnullas piè doctèque D. Damascenus enumerans, ait: *Sinit frequenter iustum incidere in calamitates, vt virtutem quæ in eo latebat, alijs apertam manifestat, inque faciat, vt in* *l. 2. de Fide* *Job.* *Aliquando sinit aliquid absurdum fieri, vt per operationem quæ absurda videtur, magnum aliquid & admirabile, dirigat & operetur, vt per crucem, salutem hominum. Et alio etiam modo sinit sanctum malè affici, vt ex recta conscientia non excidat, aut ex indulta ei virtute gratia, in superbiam non extollatur, vt in Paulo. Interdum deseritur quis in malis, ad vitam aliorum in melius commutandam, vt alij videntes quod in illo est, emendentur, vt in Lazaro, & diuite. Naturaliter enim ipsi, videntes alios patientes, corripiuntur. Relinquitur & quis ad alterius gloriam, non per proprium aut parentum peccatum, vt cæcus à natiuitate, ad gloriam filij hominis. Rursus sinitur quis pati in alterius zelum, vt gloria patientis magnificata, impiger alijs stimulis incitetur spe gloria futura, & futurorum desiderio honorum, vt in Martyribus. Permittitur & quis quandoque in turpem incidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. Verbi gratia, quis est elatus in virtutibus, & rectè factis suis, hunc sinit Deus in adulterium prolabi, vt per casum in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, humiliatus consueatur Domino. Hactenus ille: vbi videtne, quàm numquam, vt permissorum rationem, conseruationem libertatis, verùm aliquem alium bonum & ad amandum finem proferat? vidit enim vir sapiens, ab eo qui ex cognitione, certoque fine proposito operetur, excelsius aliquid esse postulandum.*

Sed & mirabiliorem se videtur diuina prouidentia præbere, in ijs quæ permissione tantum, quàm quæ sua mera voluntate facit: quid enim magni est, secundo vento, firma naui, peritissimo remige, pacato mari, portum cognitum, & in conspectu positum subire? at furentibus in aduersa ventis, lacera naui, imperito remige, insidiantibus piratis, per cæcæ noctis tenebras, opratum portum occupare, id demum facinus est præstanti gubernatore dignissimum. Eius quod agimus ipsissima hæc est imago. quis enim id magnum duxerit, quis altius cogitatum extulerit, quando leniter ardentibus omnibus, & consilijs humana prudentia rectis, id quod benè cæptum, benèque curatum est, benè cesserit? at verò quis non Dei digitum agnoscat, cum per res eas, quæ penitus contrariæ videbantur, opratus sequitur exitus, cum astutia contra nitentium in commo dum oppugnati cedit, cum vis & potentia impugnantium lacessito robur addit, indeque vnde deprimendum credebamus, emergit? Quis non videt Iosephi vincula & carceres, vi quadam altiore & fortiore quàm humana, illi ad regiam dignitatem gradum fecisse: quod fortassis agnosceret nemo, si sensim, si

arte, si rebus præclare & fortiter gestis, si munerum & honorum alterna vicissitudine, gradatim ad summa conscendisset. Quare, id etiam dicere posse mihi videor; Si nulla permetteret, & permissa non ordinaret, & ordinando, quodammodo sua non faceret Deus, Deum vix agnosceremus, vixque vllum in humanis euentis Deo vindice dignum nodum videremus, & vix altius quam ad humana consilia mentis oculos attolleremus: at verò cum non solum è bonis mala fieri, sed ex ipsis istis malis bona instaurari videmus, sublimiorem diuinæ prouidentie modum fateri cogimur, quæ sic à bono excidere nonnullos patitur, vt nihil tamen ab optimo fine sibi proposito, ad extremum aberrare patiatur. Et quid magni est si è bono bonum? at maximum est, si è malo bonum feceris.

Igitur quantumcumque humanæ nos artes vel impugnare vel etiam expugnare videantur, firmè nitamur Deo; nil permittet, nisi in maius bonum; quod bonum si diligimus, nostrum est: quidquid astu, quidquid viribus conentur inimici, conspiret infernus totus, non possunt nos extra diuinæ prouidentie ordinationem collocare, non possunt potentissimi clypei vel penetrare munimen, vel cautum tegumen fallere: imò verò maligni aliorum conatus, non tantum Dei benignitatem aliorum auersam non auocabunt, sed ad nos potius euocabunt, tum quia Optimum maximum decet, afflictis & oppressis adesse, tum quia iustissimo & sapientissimo conuenit efficere, vt illa alterius malitia, si ei qui iniuste affligitur, vera & directa occasio ac via, per quam Deus conferat ei bona maxima, quæ numquam aliàs daturus fuisset. sic illa Iosephi venditio, & à carissimo parente separatio, effecit, vt derelicti, & vel inuidia, vel calumnijs circumuenti patrocinium, maiore beneuolentia susceperit Deus; imò etiam à vero abesse non videtur, tot res aduersas, tam fortiter ab innocente perlatas, viam fuisse vnicam qua seruitutem & vincula cum regni libertate & maiestate mutare mereretur. Quapropter, huic exemplo consentaneè, si in me calumnie insurgant, si iniuste iniurijs impetor, quidni eo animo id excipiam, quasi si Deus meus pro sua in me beneuolentia, nouam quandam, qua mihi benefaciat, occasionem offerat, ex qua clariùs agnoscam, quanto opere mihi inuigilet, dum ipse inde me eriget, vnde deijcere; inde decorabit, vnde malè infamare, alij quidem nitentur, & mea peccata merebuntur, at non sinet bonus Dominus, qui conatibus interueniet, & ex aduersis secunda procreabit? quidni me ipsum his verbis & affari & consolari possim? Ecce Deus tuus, ô anima mea, qui peccatum omne, fraudem omnem, & quidquid non rectum est, summopere abominatur; en, eousque te diligit, vt ad maius bonum tuum æternum, etiam ferat & permittat malum aliquod, etiam leges suas, honoremque suum patiatur infringi, vel hac via tibi suæ volens gratiæ, sui que amoris pignus ostendere, & occulta sapientiæ bonitatisque summæ reuelare. ô benignitatem, ô sapientiam, ô prouidentiam plurimum ad amandam! in eam tranquillè sollicitudinem deponam, in

in ea semper securissimè conuiescam. mala mihi velint, qui volent; mala non sinet, nisi qui inde bona faciet bonus Deus; malos despiciam, respiciam bonum.

Sed hæc de voluntate, deque permissionum ratione (quæ duo prima posueramus) dicta sufficiant, vt cum vtramque iustissimam perfectissimamq; cognouerimus, vtriq; placidissima mente consentiamus. In cooperatione verò, quam tertio loco recensueram, nihil est cur hæream, parum quippe ad virtutis informationem facit subtilior de ea disceptatio: notum est, & hoc sufficit, sine primæ causæ cooperatione & influxu, nihil posse existere, eamque operandi vim à Deo dari, in id omne quòd physicæ existentie est particeps: quale non est peccatum, de quo tamen paulò post.

Ex ijs autem quæ hæcenus dicta sunt, iam patet cur viri sancti ad permissiones confugere non sint soliti, sed res omnes, quasi agente Deo sibi euenire persuasum habuerint: mentis enim oculos à peccati alieni cogitatione vel seuocabant, vel saltem illi quàm minimum, aut etiam nihil viriù tribuebant, permissiones verò Dei, quasi actuosas & effectrices contemplabantur; cum & voluntas permittendi, & permixta rei in certum finem destinatio, & cooperatio cum creatura sint actuosæ & efficiendi vi præditæ, sintq; eiusmodi vt & providentissimū Deum deceant, & sapientiam ac bonitatem eius doceant, & ab eo solo in eum modū possint emanare, & tam illustres sapenumero producant effectus, vt insignitè iniurius Deo sit futurus, qui rerum admirandarum conuersiones, è rebus malis erumpentes, arcanis diuinæ maiestatis consilijs, acceptò ferre nolit. Subtilissimè se nostris erroribus & peccatis insinuat Deus, non vt approbator, aut particeps, sed vt auersator & corrector, & ex malis bona plura quasi ignem ex aqua educit; inuigilat ad omnia ille oculus prouidens, nihil est quod potestate non attingat, quod ratione non ordinet: illius est, alterius odisse & punire peccatum, si quod est; tuum verò qui iudicis vicem non fungeris, ad illum potius, quàm ad creaturam animum aduertere, gaudereque sanctis fructibus, quos tibi copiosius sub amariore cortice recondit.

Multorum quidem, vt hîc iterum ad sancti & Magni Gregorij loquendi modum reuertar, iniustas in rebus agendis voluntates esse dignoscemus: sunt enim qui odio, inuidia, superbia, libidine, & improba cupiditate rapiuntur; at nulla, nisi iusta, est potestas: cum potestas omnis à Deo; vel aperta, vel occulta, sed tamen iustâ semper aliquâ ratione tradatur. Vnde pereleganter D. August. *Est in malorum potestate peccare: vt autem peccando, hoc vel illud illa malitia faciant, non de prædest. est in illorum potestate, sed Dei diuidentis senebras, & ordinantis eas: vt hinc etiam quod fact. Sanct. l. 1. c. 16.* iam ergo quum de aliqua illata molestia quereris, latine quid agas intelligis? de voluntate, an de inferetis potestate conuerteris? si de voluntate, miserari potius, quàm quiritari debueras: quippe praua voluntas, ipsa sibi soli mala, sibi quoque soli nocet, suaque se prauitate malam & miseram facit, & extra se aliud nihil facit. Legisti fortè quod

scriptum

scriptum est, Omnis potestas à Deo est: & scribi benè potuit, verum enim est: at numquid & hoc legisti, Omnis voluntas à Deo est: absit: fallum enim est, nec scribi à spiritu vero, à Lutheri tamen & Caluini spiritu potuit. Et quàm prouidè cauit Deus, ne id omne in hominis esset potestate, quod in voluntate foret? Verùm quod nunc, tibi nocere volens, id potuerit quereris, atque ita de potestate conquereris: at quomodo id potes, cum ipsa iusta sit? Deum intueri à quo est, cuius est, per quem est, qui illam ordinat, & iustam fateberis. At vrget: Mihi fit iniuria. quæ, inquam, iniuria? peccata tua punit Deus, exercet patientiæ, æternitati coronas apparat, & tibi fit iniuria? Homo est, ais, qui praua sua voluntate mihi iniuriam infert, hinc indignor. Ad hominem tu me semper vocas, ego te ad Deum euoco. humana ista voluntas, quid potuit, quid fecit? non ob eius voluntatem doles, qui peccato eius non condoles; sed doles quòd aliquid potuerit: at quod potuit, vnde potuit, cur potuit? nonne potestate, concessione, ratione diuina? si diuina, numquid non iusta, sancta, laudabilis? in hanc ergo vel tua se querelæ erigant, vel conticescas necesse est. At in istas, diuinam cooperationem illi promissam; In malum meum, mala sua voluntate derorsit, tantæque potestatis telum in me deflexum vibrauit. Ego verò eiusmodi cooperationem promissam nego: assero que constantissimè, nunquam futurum, vt id nisi iusto iudicio fieri sineret Deus: horumne verborum vim capis? dicam clariùs, numquam mala alterius voluntati in malum tuum, nisi (si volueris) in bonum tuum cooperabitur Deus. Nondum sat perspicuù: iterum fusiùs; non permittet vllis te aduersis rebus iactari Deus, nisi quia tu ipse illa commeruisti, & plura; quia in eum parum speras, creaturis confidis, & creaturis puniris, quia tibi vel ad cauenda maiora mala, vel ad firmanda bona veriora vtile est, & denique vnde cumq; & quicumque altiore ratione permittatur, non permittitur, nisi quia summo bono, qui Deus est, & in quo omne tuum verum bonum est, ita visum est melius fore. Hinc ergo, hinc permissionis, hinc cooperationis præcipua est petenda causa: non quia praua voluntas id voluerit, sed quia cum prauè voluntas id veller, iustè, imò iustius & melius fore iudicauerit Deus, si id permitteretur: permittetq; non quia malus id volebat, sed quia id malo permitti iustius & melius fore videbat. En consequendæ tranquillitatis animi præclaræ certissimamque rationem: si nempe non hominem, aut humanam vllam voluntatem, non creatam, & proximè effectricem causam intueris: quid enim ad te attinet, qua voluntate, bona an mala sit quisquam præditus? forsitan quam malam putas, illa mala non est voluntas: sed sit mala, quid ad te? illam iudicabit Deus. Et verò si mala ista voluntas tibi honorem, tibi commoda præberet; non agrè tibi faceret. Gaussum ferunt quendam Telephum, quòd accepto ab Achille vulnere, interno & intenti apostematis vlcere sit liberatus. O quàm multa conscientia apostemata, vel sanat latentia, vel cognita expurgat molestia rerum aduersarum! Deum ergo intuere, tranquilla animum, hominem dimitte, ad Sanctorum imitationem

prouola, numquam illi (vt dictum est) vel quis inferret, vel qua voluntate, vel quomodo cogitabant, hinc nullam sibi iniuriam, sed omnia beneficia esse cen-
 sebant, maledicentibus benedicebant, persequentes amabant, illi sunt (aiebat
 quidam) qui nos beatos faciunt, at qui beatos prædicant, illi nos decipiunt: ita-
 que omnia, oculis in Deum semper intentis, quasi diuinitus expectabant. Ad
 quos accedens Saluianus, prudenter tamen intelligendus, ait: *Quàm longè que-
 so est à iubente permittens: qui enim sinit nos ista ferre, & prohibere potest ne perferamus,
 probat absque dubio debere perferre, & quacumque patimur sustinere.* Et numquid non
 ita nos erigere voluit S. Spiritus, cum sacra Scripturæ, ex qua modum de Deo
 sentiendi haurire debemus, eum tribuit loquendi modum, qui non permissio-
 nem, sed semper actionem sonet, vt semper in omnibus à Deo pendere, à Deo
 ex omni te bonum expectare consueueramus?

l. 8. de Pro-
 uia.

Neque verò propterea cuiquam in mentem veniat, hac ratione aliquid pec-
 cato, de sui grauitate ac detestatione decedere, quasi vel non sit, vel talem mi-
 nus dolendum puniendum sit, quia maiori bono occasionem præbet: occa-
 sionem eum solum, & non causam præbet, & quidem occasionem non ex se,
 sed ex diuinæ bonitatis quasi nimietate. Quid enim? si pauperis humilem &
 stramineam casam, odio flagrans inimicus incendat: qui verò damnum passus
 & ad extremam egestatem redactus est, patienter, & æquo animo ferat, atque
 inde fiat vt tantæ virtutis exemplo ad regem delato, iubeat præclaram firmam-
 que domum, fundis & opibus adiectis afflicto dari: lætabitur quidem hic pau-
 pellus, & cum quodam dicit, Perieram, si non periissem: & non agrè, condo-
 nabit iniuriam: at, num propterea vel peccauit minus, vel minus puniendus est
 incendiarius? quis homo sanus id sentiat? nisi forè contritantiò magis, quo in
 meliorem hominem, meliore rege peccauit? nempe cum de iudicando & pu-
 niendo agitur, non est de vitio rei, ab euentu non suo, iudicandum, sed agentis,
 & bonum malumue cognoscentis voluntas expendenda, & læsa magni Dei
 in scriptis legibus auctoritas. Hæc & plura alia consideramus, cum vel nostro-
 rum, vel alienorum peccatorum iudices sedemus. At quando gerenda esset per-
 sona patientis, ab isto munere vniuscuiusque mentem auoco, hoc inutile, hoc
 periculosum assero: at hortor vt vnicam istam aliena malitia labem, quæ, si vo-
 lumus, multum nobis prodesse, nihil nocere potest, contemntes, oculos
 mentis aliò in securorum effectuum seriem optimam, & in diuinæ providen-
 tiæ bonitatem irretortos defigamus: & quamuis recenti & præsentī molestia,
 adhuc futuri incerti simus, nihil tamen indubitemus, confirmati exemplo San-
 ctorum, sacrarum Litterarum testimonijs, & experientia fati testata.

§ 8. *Quomodo peccata ad diuinam prouidentiam pertineant.*

Pauca hæc de re, & quæ in rem nostram faciant, dicam, Theologis cetera relinquam. Et quidem certum est peccata non posse sic ad diuinam prouidentiam spectare, quasi sint effectus quos diuina prouidentia fieri voluerit, eos promouerit, aut ad eos incitarit: hoc enim ab optimo Deo quàm longissimè abesse debet. At quia non dedecuit, imò iustissimæ fuerunt rationes cur deceret, peccata permitti, si aliquando permittenda erant, necesse fuit vt ab omnium futurorum præscio Deo præuiderentur, tum verò vt de præuis melius aliquid prouideret, ne ea penitus prouidentia suæ sapientissimam ordinationem subterfugere sineret: quin potius corruptricem malitiæ vim compescendo, mali permissionem, ad boni augmentum slecteret, interdum quidem in ipsorum & peccantium correctionem, interdum in aliorum commodum, interdum vt ea occasione thesauros misericordiæ liberalitatisque suæ largiùs effunderet, seque ipsum manifestaret illustrius. Quam in rem doctissimi Molinæ verba digna sunt relatu, quibus ait, *Ad eo bonus est Deus, vt nulla ratione permetteret mala, nisi inde eliceret intenderet maiora bona. Nec est auctor peccatorum, sed prausor, permissor & prouisor, qui ea sua ineffabili atque infinita sapientia & prouidentia, in optimos fines ordinat ac permittit.*

ex concord.
q 14. a. 13.
a. 33.

Prætereà sæpissimè videmus diuinam prouidentiam in arcendis peccatis elucere, cum impedit ne fiant, cum tamen futura fuisset ni impediuisset, aliunde deprehendamus: frequentissimè tamen plurima submouet Deus, quæ nescimus, tantorumque beneficiorum, quæ nos latent, nullus est sensus. At quando peccatum perpetratur, diuina quoque in eo prouidentia cernitur, non solum quod in melius ordinatur, de quo sæpè diximus, sed etiam quod frequenter, vel non tanto impetu, vel frustrato malitiæ effectu, vel adiuncta molestia, vel quodam alio modo sic fiat, vt comite peccati dolore, inamabile reddatur, faciliusque sit ad meliorem frugem redire. Sed hæc, licet vt plurimum, non tamen semper, nec in omni peccato facit: At in omni peccato quod perpetratur, Deus ob finem optimum, peccatori concursus, (vt cum Theologis loquar) generalem suum præbet, vt eo pro sua naturæ libertate, vel ad bonum, vel ad malum utatur, malens id quod bonum; at prouidè, iusta que ex causa, relinquens id liberum, vnde si peccator in deterius dessectit, causa generalis bonitate, ad particulare peccatum abutitur, quare, cum iustè præbeat Deus, vnde bonum fiat, inde autem alter iniustè malum faciat; non, bene præbens; sed, malè vtentis est, si quod est peccatum: diuinæque, quæ non in rem hanc malam, sed generatim in rem aliquam fertur, efficientiæ radius à forde peccati mundus est. Multa sunt quæ horum occasione de diuina ista efficientia desideraret fortasse nonnemo: at no-

strum

strum id minime est. Satis nobis sit agnoscere ipsa quoque peccata, qua peccata sunt, diuinæ prouidentia subesse. & ex ijs velle. posse & solere Deum multa bona extundere: quod nostrâ causâ, profectò efficiet, si in peccatis non peccata, sed optimum illum prouidentissimumque Deum spectamus, vt sint oculi nostri semper ad Dominum: *Et quis nocebit nobis si boni amulatores fuerimus?* quamquam *1. Pet. 3.* vt quid peccatis, prauaque aliorum in nos voluntate, quasi mormolycijs extereri: peccatum ipsam, nonne physica omni caret existentia? ergo quod non existit, hoc formidas, hoc rerum grauium causam putas? absolum hoc, & ratione vacuum est: peccatum sterile est, & efficaciam omnis expers: nemini alteri, nisi soli peccanti nocet, cui tenebræ, cui prauitas, cui mors est anima; at mortuus, cassus viribus iacet; sibi putrescit, in alios haud insilit, sola contagione lædit; securus es, si tantum procul effugeris.

Ad extremum, hoc vnum moneo, vt, quoniam quæ nos cruciant, perturbant, deque mentis æquitate deturbant, ea solent esse quæ iniuste, aut certè nullo iusto nomine, grauia toleratu inferuntur, veluti si bonis euertimur, patria pellimur, falsi criminis inculamur: obseruemus, eos à quibus id nobis inferitur, quibusque succensemus, duplicem fungi vicem, duplicemque quasi sustinere personam: suam quidem malè volentium & peccantium vnâ, qua sola (vt lapè diximus) nihil quod nocere posset efficerent, cum neque humana voluntas, neque peccatum, se ipsis efficaciam vllam sortiatur; alteram, licet ignari, personam peragunt, qua illud omne possunt, & diuinæ iustitiæ generatim affligentis sunt instrumentum. sic Attila se flagellum Dei nuncupauit, sic Africanorum vltor scelerum rex Wandalus sibi paulò ante mortem flagellum vidit eripi, sic ipse Deus Nabuchodonosorem seruum suum vocat, à se mittendum, vt Prophetas neglectos, verbumque Dei non auditum vlciscatur. *Greg. l. 3. dial. c. 1. Ierem. 25. c. 27.*

Iam verò, hoc dato, neminem credo fore, qui se aded iustum, & semper existisse, & nunc putet existere, nihil vt in se esse credat quod diuinæ iustitiæ pœnis aut expiandum, aut expurgandum, aut perfiendendum superfit: sin autem superesse plurimum, & ne diuino iudicio corripatur, timere debet vnusquisque; annon æquissimum est, vt neque iustæ pœnæ, neque iusti iudicis administrò irascamur? nec enim fore credo vt vsque eò delipiamus, vt à Deo quidem, ac solo, & nullius creaturæ ministerio vte, puniri velimus: quis hominum id à iudice petijt, vt reos ipse sua manu truncaret? quod autem minus homini decorum iudicamus, id à Deo scilicet experemus? Atqui, inquis, ministro vtatur volo, ac iusto, vt ipse iustus est. tu verò, quis es, o homo, qui legem ponas Deo? vterur quibus volet, quando & quoties volet: vbi gentium auditum vnquam, reus vt iudici, quo iustitiæ ministro vtatur, statuat: fateor, si priuatim terror inimicus, solet id inuitis aliquid molestiæ creare: at inuitis, ac iniquis, & peccata præterita neque punientibus, & puniri agrè ferentibus; nondumque credentibus, malum malorum omnium maximum, esse peccatum, cuius

ius quicumque à nobis vestigia eraserit, is vel maximè nobis bene facit. Sed nonne longè verius est, iudicis iustitiam publicam, efficacemque potestatem, quàm carnificis (ab ipso denique Iudice puniendi) malitiam intueri: quid autem, si & tuum ipsius peccatum, alterius peccato puniri commertum est? quid, si ad tuæ virtutis exercitationem, sic vtilius est? quomodo enim aptius nos ter in Deum ingratus animus, quàm alterius in nos ingrato animo punietur: nonne & frequenter qui iniuste alium peremit, iniusto alterius gladio, iusto Deo vindice, iuste perit? & quando à quò animo alterius voluntas infensa toleratur, nonne magis arduum, magisque laudabile, adeoque tum expian dis malis, tum virtuti perficiendæ longè est efficacius?

Sed ecce iam permulta diximus, & quæ ad id quod propositum erat, comprobandum sufficient, verùm quia tanti momenti res est, tamque natura queruli, & ad impatientiam proni sumus, vt quantumuis generatim multa dicantur quæ ad animos componendos valeant, subitò cum in rem ventum fuerit, excuriantur illa de manibus, ipsique in animum inducamus nostrum, iuste tunc nos irasci, iuste in res nobis infestas excandescere: minutiore multa proximo capite exquisitiùs persequar.

C A P V T V.

Quomodo quæ à Superioribus proficiscuntur, non sint secùs quàm à Deo recipienda.

PLurima omninò sunt & maximè varia, quæ à Præpositis ad subditos factò, dictò, iussu deriuantur, suntque vel in priuatione, vel in perpeffione, vel in actione posita: hoc est eiusmodi, vt propterea vel priuari aliquo, vel aliquid pati, vel agere debeant subditi: vt quando dignitate vel officio priuantur, cum reuerentium aut flagella illis iniunguntur, cum habenda concio lectiòne præcipitur, in primo priuatio, in secundo perpeffio, in tercio actio notatur. Sin autem plura simul præcipiuntur, tum singula sunt ad suum genus reuocanda, & ex eo prudenter centenda. Sunt & quadam è duplici genere permista, vt flagellatio, quæ actione & perpeffione constat, vt officiorum locorumue mutationes, in quibus discessio fit ab vno, & ad aliud accessio. quoties autem contingit vt ex vtroque misceantur, ad id genus referenda sunt singula, quod gratius est, & potissimè Superioris voluntate spectatur: quare flagellatio, non ad actionem, sed ad perpeffionem pertinet: mutatio verò loci vel officij, si in pœnam, & in id quod grauius est fiat, priuatio dicenda; si verò in laudem, vel commodum, vt si in salubriorem locum, vel officium honoratius transferatur, tum in actionibus potius computanda est.

S. I. De ijs qua perferenda contingunt.

Et quidem ex ijs qua de S. Iobo, S. Dauide, ceterorumq; Sanctorum exemplis vidimus, nullus viderur dubitationi relictus locus, quin ea omnia que in priuatione & perpeſſione poſita ſunt, iuſte permittente Deo inſtigi credi poſſint, & ingenti cum ſummiſſione & humilitate animi excipi debeant. Atque vti nam rerum aduerſarum, & quarumcumque non pro voto cedentium, veram cauſam vel intueri, vel exquirere niteremur! ô quantum, ex aduerſis fructum ſumma animi æquitate caperemus! Hoc tu, Domine Deus, in alijs, etiam aliquando perfectioribus, videre nos facis: da, vt euiremus, & quod ſcire docuiſti, re ipſa exhibere dona. quid iuuar videre præcipitia, ſi volens & videns in eadem relaboi? Vix erit vt nocentiſſimū hunc errorem verbis valeam exequi, nedum dignè ſumma eius dāna lamentari: adeò paſſim viger, per que omnes, & per omnia peruagando non tantūm vix à quoquam cauetur, ſed in eo ſibi quiſq; blanditur, & hiſce labyrinthorū mæandris inuolui affectat. Sed purulenta eius radicē proferamus, exéplis illuſtrems, ſi fortè vel ſic vulpeculæ huius aſtū euoluere ac enudare poſſimus.

Blanda, heu nimiū eſt, nimiumq; ſui aduſatrix natura noſtra: hinc vitij, imprudentiæ, erroris, doloris, exitus aduerſi, maliq; cuiuſuis cauſam à ſe libentiſſimè ſemper amolitur, in alioſq; deriuat. En tibi radicē vnam, & quoniam grande malū eſt, accipe & alteram: Senſu ducimur, præſentia, & ſub oculos poſita reſpectamus, plurimum noſtræ prouidentiæ, noſtris conſilijs plurimū, plurimum rebus creatis, imò omnia iſtis tribuimus; animi noſtri latebras, & quid à Deo mereamur oblitri, conſilia diuina non ſcrutamur, non inquirimus vnde, & cur iſta? alioque quàm par erat deſſectentes: adeò non proficimus, vt etiam deficiamus aduerſis, errorique error carenata ſerie implectatur. Quare cuiuſuis ingrati euentus cauſam à nobis longiùs amouemus, & quæuis alia quæ primò occurrerint, nihil alitiùs reſpectando, culpamus.

Sed quod generatim obſcurius eſt, exéplis eluciderur. Quoties quaſo in matrimonio videmus, vt grauiſſimis querelis perſtrepatur, maritus in vxorē, vxor in maritū inuehatur, & vt verè dicam, in vtriuſq; mala cauſa, merito vterque reus peragi debeat: vel quamuis paribus animis, concordiaq; voluntate idem iugū vterq; ſubeat, quoties vel liberorū immatura morte, vel improuiſa ſuis intolerabili ſumtu, vel cognatorū diſſenſionibus vita acerbior redditur: & vndiq; de hijs, de illis, querimonia multa geminatur: at ô homo, ô mulier, meminiffe debeas nō ab his aut illis, ſed à vobis ipſis, id mali proueniſſe: quippe vel ad aliud vite genus, vel ad iſtud quidē, ſed nec eo fine, nec ita præproperè à Deo vocati, id eſtis planè cōmeriti, vt vobis tādū omnia peſſimè cedāt, quamdiu illaudata primordia, iuſte pœne tolerātia, vitaq; inſtiore nō expiaueritis. Nūc autē ſic ab iſta cogitatione eſtis alieni, vt impatiētiā, obmurmurationē, ignoratiōē veſtri, veterū

piaculorum cumulo addentes, maiorum quineriam irarum dignos vos in posterum reddatis, peccatoque perdurante pœna cessare non debeat. Mercator est, vir solers, industrius, & ad rem attentus probè, at quidquid desudet, nusquam proficit, improvisis casibus, iacturis, foro cessionibus, latrocinij, naufragijs, ad extremam paulatim egestatem agitur: hinc avidior habendi, laborem & vigilias auget, lucri rationes novas excogitat, dandique parcior, nihil se pauperibus, nihil Deo largiri posse credit. At non videt imprudens, ideo malè sibi omnia cessisse, quòd suæ nimis fiderit industriæ, quòd benignitate in pauperes, primum decimisque lucri, Deo non consecratis, diuinum suis conatis factorem non impetrarit: futurumque ut malè illi cedant omnia donec eleëmofynæ pietatisque exercitijs, auxiliatorem industriæ suæ sibi Deum propicietur. Est qui naturæ preclaris dotibus ornatus, qui maiorum, familiæ, amicorum fultus ope, ad maximos honores prona videt omnia; eos captat; & ecce, iam iamque prensandi, e manibus euanescent: hinc dolor, at quo fructu? hos, vel illos, exultationi suæ minùs fauisse credit; propterea spe deiectum se fuisse, quòd minùs hominibus gratus, & minoris ab eis factus fuerit: quòd cum aliquod munus administraret, feuerior & recti obseruantior fuerit; hinc cedit in plurimis, laxior & liberior euadit, quacumque ratione alios sibi demereri conatur, totus est in hominum aucupanda gratia, at certo certius, repullas iterùm grauiore turpioreque patitur: quid enim? istæ ipsa repulsarum causa fuerat, in qua iterum pergitur, quippe bonus & iustus Deus, noluit naturæ donis, hominum favori tantum tribui, sed à se solo ista expectari, animum nostrum voluit ad humilitatem flectere: quare mutata velificatione, contemnenda hominum iudicia, honores pro nihilo ducendi, virtutis & solius Dei amor sanctè incendendus est, & sic felicius hic fluent omnia, atque ad gloriosam æternitatem nobis aditum apparabimus.

Ille, iste planè est grauius error hominum, ut vnde abs errore dimoueri debuimus, inde in illo acrius confirmemur. Decipiente fallaci affectu aliquid statuo: impellente nimio, quo Titium prosequor, amore, id illi munus demandando, quo nequit probè defungi: alicuius æmulus, cum deprimor, ipseque aliunde ingrata multa in me irruere video: si in alios culpam conijcio, si multa in eos commiscor, si varia quasi pro remedio, & meliore rerum facie restituenda tento, quid facio nisi quod passim propè optimus quisque? & tamen nihil facio, securim ad veram radicem non appono, sed contra, superfluis stolonibus relictis, viles ramos amputo, vel eos turpiter vellico. Vuulè morbo, stomachi olim languore laborauit S. ille Macarius: nunquid more nostro, vel nocturni frigora, vel cerebri defluuia, & non potius remotiora spectando, suam in iudicandis alijs temeritatem causatus est? & quotusquisque nostrum est qui cum in morbum, cum in aduersa inciderit, idcirco id sibi accidisse credat, quòd in alios durior existit: quin potius postquam vel naturæ bonitate, vel Dei benignitate facilius è morbo conualuerit, eandem facilitatem, celeritatem, morbiq; neglectum alijs imbecillioribus

bus adhiberi uolet. adeo diuinis, quæ secus quam par esset accipimus, flagellis parum emendamus. O quoties, Deus meus, conatus meos, hoc uicio laborasse, & uidi, licet aliquando ferius, & dolui! At uero, & uidisse, & doluisse, tuum planè donum fuit: tantique illud æstimo, ut inter maxima reponam, & de hoc si solum fuerit dicere non uerear, *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi.* Incerta, tibi non confidentibus; occulta, tuo lumine non collustratis. Tu uero pro tua bonitate, o benigne animarum illustrator Deus, nos quoque doceas, ut de his sedulo meditates, id à te contentius expectamus. Scio enim neque satis dilucidè, neque satis dignè, à me explanatum quod hic latet: dixi tamen quod nunc dedisti, plura dicturus, cum plura dederis. Quibus tamen hæc non sunt satis, & merito non erunt satis, en habent te Deum mentem, lumen summum, & fontem luminum ad quem accedant & illuminentur: sin autem ad te accedere pigritantur, nihil est cur à meis tenebris lumen emendicent.

Hinc tamen id quod propositæ quæstioni maximè proprium est concludamus: scilicet, satis exemplo Sanctorum firmatum esse, nihil tam esse tolerari arduum, uel à ratione, ueritate, æquitate tam alienum, quod ab alijs in nos illatum non possimus, quin & debeamus æquissimis animis excipere, indeque paciëntiæ, tolerantia, mansuetudinis, plurimarumque uirtutum cultu animum exornare, eorumque causam non ab aliena uoluntate, sed occultiore aliquo peccato nostro reuolcere. At solet esse graue, quodque infirmiorum mentes à tolerantia proposito dimoueat, si quando innocenti quali ob crimen pœna publica iniungitur: uerentur enim ne, si eam sine sui purgatione quasi meriti subeant, participes esse criminis, & offensionis aut scandali iustam causam præbere uideantur; eamque in sententiam, mulieris septies ietæ historiam referunt, cuius in falso crimine pernegando constantiam, sibi gratam, tali portento testari uoluit Deus.

Verum qui sic loquuntur aut sentiunt, à ueritate & perfectione Christiana longius aberrant, ut sensim comprobabo. Accidit quidem interdum ut innoxij quasi noxij pœna iniungatur, ipsique, illius cuius accusantur noxiæ, rei tam aperta ratione teneantur, ut suæ innocentia ueritatè affirmare, sit impudètia: ita in hac misera uita uiuitur, uix ut aliquid certò nobis cõstet, sæpeque innocètia crimini, & ueritas falsitati propior, quam crimen ipsum, quam falsitas ipsa censeatur. Hoc uero, licet rariùs, quando tamè accidit, non tantum iniunctas pœnas subire possumus, sed & debemus, aliàs inobediètia & peruicacitatis exèpla præbituri, & uerè tui alijs futuri scandalo. Id autem temporis, decet omnia nostra, diuinæ prouidentia, magna cum animi fiducia committi: fietque, ut si Domini nostri Iesu Christi causa, in famæ & commodorum iactura iniqua, mentis æquitatem tenuerimus, centuplum in hac uita, magna cum spiritus dulcedine, & uitam æternam recipiamus. Sanctus ille Paphnutius (nota est historia, nec meum est enarrare, lege si uis Cassianum) sed ille sanctus, furri accusatus, & sic delatoris arte conuictus; *coll. 18. c. 15.* ut innocentia tuendæ, nisi se nocentiorum facere uoluisset, nullum suppeteret argu-

*vide Ribaden in eius
vita.*

argumentum; quia magna humilitate se forem haberi, se ut furem puniri, ut sceleris legum cōmunionem ceterorum priuari passus est, nōne & plurimis gratijs diuinitus ornatus, & cum ingenti, quem respuebat, honore, calūnia liberatus est? Quid: ille, Veronensium gloria, S. Petrus Martyr, quā admirabili Dei iudicio, pœnis, opprobrijs, falsaque, sed probabilissima, criminatione vexatus est: S. Catharina, S. Agnes, S. Cæcilia, beatæ virginis, illi adesse visæ, cū eo in cubiculo loqui audita; visæ, audita, forma, cultu, sono vocis velut mortales, hinc mortales existimata: sunt: indeq; ut qui mulieres in claustrum, inque cubiculum, claustra induxisset, accusatus, condemnatus, carceri mancipatus est. Nunquid non iuste, innocenter, mirabiliter? iuste quidem, quis enim homo visis auditisque non credat: quis prudens aliter iudicet? Innocens tamen damnatur, quid enim fieret aliud? & iudicio acquiescit, nec famæ, nec scandalū à se non dari, nec alia vilius recuta, de patientia dimouetur. At quā nouum, quā præter ordiē id totum fuit: ut ipsæ beatæ mentes, eo tempore, istis loci, sic videri, sic audiri, mortales haberit seirent, vellent; nihil ibi nisi cælitus gereretur, & sic gereretur, ut inde & innocens calumniator oriretur, & damnaretur innoxie qui caluniam patiebatur innoxius. Quid enim viri sancti accusator ille fecisset? audierat, viderat, tempore locoque illicito, cubiculo inclusas, viro soli, Religioso, aditare formosas & ornatas puellas, comiter alloqui, arridere, blandē compellere. Taceret? at enim Regulæ & Religionis obseruantia reclamabant, loqueretur sed quid loqueretur aliud, quā quod auribus, quod oculis hauserat? hoc autem eloquens, numerum sexumque personarum, habitum, locum, tempus, non inaniter coniectando, sed omni asseueratione affirmando proferebat. His angustijs deprehensus vir sanctus, quod se verteret? negaret? quæ visu percepta sunt, ea negare impudentis videtur esse pernicacia. excusaret? at aperte Regula legesque Religiosæ reum pronunciant, veritatem proderet? at neque fortasse crederetur, & proderet quod ipsæ Beatæ celauerant, quodque proderet, humilitatis amor dissuadebat. ergo restabat vnum, ut Domini sui exemplo quod non rapuerat, exsoluere paratus esset: quid enim Præpositum his auditis decernere par fuit? publicè obijciebatur crimen haud vulgare, tacebat reus, obiecta non diluebat, & grauius probabatur: puniendus igitur erat is qui diuino iudicio innocens, humanis argumentis, nolens, volens, tenebatur: ergo aliud amandatus, & in carcerem ideò detrusus est, quod cælitus ignominie occasio in eum arrepta esset. Memorabile sanè sæculis venturis exemplum, vnde iudiciorum temerè procurantium libertatem refecare, admirari Deum arte tanta certaminis materiam suis apparantem, & in quibusuis obtreccationibus, insuperabilem ad extremum vsque patientiam seruare discamus.

En igitur quomodo Sancti, quā necessitas inuellerat infamie notam, animo forti & egregia virtute delcuerunt. Eiusdē te animi præbeas, si forsan id obijciatur quod

quod facillè posses eluere. Animos addat Marina, meritò Marinus dicta, fortitudine supra virilem prædita, quæ plures annos, ad vsque vitæ diem extremû, incestuosus (quippe vir putabatur) maluit audire quàm virgo: sed quanto id honore compensatum sit, sciunt qui legerunt. Nempe hoc in Sanctis imitandi Christi amor ardens efficit; non abhorrent, at sitiunt cruces & opprobria, quæ sicû de illis obtingunt, illicò ea vt desideratissima amplexantur, non declinare, sed potius ire obuiam parati. Certè id iudicandum est esse perfectius, quod ab amore proprio alienius, ad edomandos naturæ impetus aptius, ad seuocandos à contagione terrenorum animos efficacius, ad peccata eluenda, virtutemque comparandam accommodatius, ad humilitatem, patientiam, nostriq; ipsorum contentum opportunius, quod denique Sanctorum illustriorum, Christi que Domini nostri vitæ conformius. ad hæc autem singula longè magis accedit, sui ipsius humilis accusatio; vel alijs accusantibus, nihil se excusans demissio, eandè animi modestiam tranquillitatemq; seruans, quam sollicita sui honoris per exquisitas argumētationes defensio, cui comites adiungi solēt perturbationes, alienationes, suspiciones, & aliæ plurimæ agitatæ mentis inquietudines, cuiusuis virtutis & perfectionis inimicæ. Ex hoc verò etiã istud est consequens, vt, quoniam nullus verus & solidus honor ab eare potest efflorescere, quæ solidæ veræque perfectioni repugnet, toties falsa honoris imagine deludamur, quoties quasi tuendæ existimationis nostræ causa, à vera perfectione, & patientiæ laude discedimus; verum autem honorem, si non confestim, saltem aliquanto post, verè consequimur, cùm falsas vulgi opiniones aspernati, ad id quod perfectius est, per patientiam, per crucem, magnis passibus tendimus.

Ex his ergo patet quòd siue facillè, siue difficillè refutabilis calumnia sit, possimusq; id quod perferendum imminebat, arte aliqua declinare, longè tamen sit præstantius pati quàm refutare, idq; quod à Superiore quasi ob crimen iniungitur, laudabiliter perpeti, haud secus ac si nobis exercendæ virtutis materiam præbuisset misericors, & nobis beneuolus Deus: à quo profectò id immitti, eo credibilius est, quòd per eum qui animæ nostræ pater, gubernator, vicarius Dei est, perque eius iussionem id nobis iniungi animaduertimus.

Duo tamen cauenda sunt: Primum est, vt ne vniquam affirmatè aliquid efferamus quod falsum sit; ideoq; quod nobis imponitur falsum crimen possumus non refellere, pœnas quæ ob illud iniunguntur, possumus etiam subire, at facinoris eius, cuius concij non sumus, reos nos fateri, aut profiteri non possumus: qua in re & peccauit adolescens qui cum muliere septies iccta cæsus est, & ipsa se constantem, vt ne mentiretur, præbuit. possumus quoque de crimine interrogati tergiversari, & prudenter ea dicere vel facere, quæ neque crimen à nobis amouent, neque etiam agnoscunt, vnde si reos nos iudicari contingat, patientiæ sit exercitium: quamquam Superiore interrogante, omnino faciendum est, vt simplicis veritatis candore, id quod est respondeamus.

Alterum est, vt circumspiciamus prudenter, ne nobis crimen adscriptum in alios innocentes redundet, eisque sit iniurium, vel etiam toti Religioni incommo- det. Peccabar hoc nomine adolescens ille, cuius expressa timore confessio erat euidentis innocentis damnatio, & alienam vitam in apertum discrimen ad- ducebat. Quare fateor eos casus existere, vbi crimen falsum repellendum sit: de quo si dubium inciderit, prudentum consilio vtendum, & quod suauerint am- plectendum est.

Fateor etiam, ad prudentia, siue discretionis virtutem spectare, vt quae sit vi- rium nostrarum mediocritas agnoscamus, neque vel id onus in humeros adno- cemus, vel vtrò illi supponamus humeros, pra quo fatiscentes, illi ferendo non sumus: excelsio, & ad aeterna erecto animo est opus, vt patientia turrim edifices, sumtus prius computandi, ne si consummare non valeas, rideatis, vt maiora re- mere exorsus. quod ego illos monitos velim, qui aduersa in se vtrò aduocant, iritant, & ansam oppugnantibus praebent: non autem eos qui è diuina prom- dentia nutu ac moderatione pendentes, a quis animis excipiunt, quae infliguntur; non irruunt quidem, sed irruentia sustinent, & sustinendo profligant: qui non suis viribus, sed diuino auxilio nixi, nihil dubitant, quin Deus & Dominus noster, qui semper suis prouidet, ipsis quoque, si forti & vegeto eos animo esse viderit, tantum occasionis ad depugnandum, quantum virium ad expugnandum sit largiturus, semperque, pro sua benignitate, certaminis materiam, infra virium modulum cohibiturus. Hoc nobis à bono Domino petendum, hoc forti prece impetrandum, vt neque desides absque pugna otio marcere permittat, neque grauioribus pugnis implicitos, hostili incurfione pauefactos perire patiatur.

Sed neque hoc mihi omittendum, vt si quando in ea incidero tempora, vt mihi à Superiore, vel aliunde ab aliqua Religiosa vitæ conditione, id inferatur quod honorem minuere, aut aliqua ex parte laedere videtur: nec enim in Reli- gione id insolens aut nouum videri cuiquam debet, vbi multis multa creden- da, multa in commune sunt cauenda, nec ad liquidum explorari possunt omnia, nec magnum censeri debet si in eo vitæ genere quod crucis perferenda gratia susceptum est, potius vnus aliquis, rebus non admodum arduis perferendis ex- ponatur, quam vt toti illi Societati, vel bono, eius nomini, vel maiori eius firmi- tati, periculum aliquod creari possit. Sed si vnquam is me necessitatis articulus deprehenderit, iustissimum sanè est vt à memoria mea non recedat, quanta sint honori meo, per ipsammet Religionem, immerenti mihi, factæ accessiones. Ser- uus peccati, vanitatis mancipium, Deo & Sanctis eius eram opprobrium; & ecce per eam in numerum filiorum Dei cooptatus, in sortem Sanctorum vocatus, & peculiari illorum familiae adscriptus, nonne de stercore erexit pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi Dei? vllane mea indus- tria, vel quantocumque labore ad tantum dignitatis fastigium essem ausus aspi- rare? & ecce nunc, si leuioris alicuius de honestamenti aliquid incurrero, proti-
nus

nus animo concidam, in vocationem meam, in Superiores impatiens excandescam, nec videbo de mea constantia periculum fieri, me humilitatem experimento doceri, & quantumvis de mea, quæ fuerat apud alios, aliquid opinione decesserit, longè plura à Religione mihi data superesse, quàm quæ auferri possint, quamdiu boni Religiosi officio fungar: quid ergo conqueror? denarium si repossor, decem millibus talentorum donatus?

Sed quamuis ita se vnusquisque, & ad perfectiora concitare, & in aduersis solari possit, & debeat: est tamen quod ceteri, iudiciorum suorum temeritatem expaueant, tantoque magis expaueant, quo æquiore mente tolerantur: erit enim aliquando, vt in iudicium exurgat Deus, & Sanctorum suorum iniurias vindicet. O quam latus hinc se mihi dicendi campus aperitur! sed præstat in alia tempora reseruare: duo solummodo moneo: Primum est, vt, si quando arrepta, vnde vnde, occasione quæ legitima videatur, malè de quopiam sensimus, aut etiam locuti sumus, ne vnquam opinionis præceptæ, vel prolati sermonis, vel inculpationis à nobis profectæ, pertinaces defensores esse pergamus; quasi pudeat falsi alicuius assertores existisse, pigeatque à malè semel admisso, benè resiliere: quin immò humanæ infirmitatis, cuius proprium est labi & decipi, conscij, gaudeamus aliunde nobis diluxisse veritatem, atque vt verè & sincerè fratrum nostrorum amantes, id præ ceteris gratissimum sit nobis, si comprobata fratrum innocentiam, si probabiles mali coniecturas, certioribus argumentis reuictas disiectasque comperimus. Et hoc ipsum profiteri non pigeat, animique nostri læticiam non magis dissimulemus, quàm pater, quàm frater, qui filij, qui fratris dilectissimi, in grauissimi criminis inuidiam, probabili & periculoso iudicio vocati, animum culpa vacuum, certa demonstratione deprehendisset. Alterum est, vt Præpositi tantò sunt ad credendum tardiores, quo coruin, vel facta, vel verba, plus habent ponderis, longèque indecentius atque damnosius est patrem, quàm quemuis alium, de filio temerè iudicare, loqui, decernere. Plura in hanc rem non addam, plura ipsimet peruidere possunt, semperque meminisse, quòd Deus fuerit in Synagoga Sanctorum, in medio autem Deos diiudicat: hoc est, ita quidem illis iudicare, statuere, quadrata rotundis mutare dedit, vt in medio tamen inspectorem omnium Deum adesse norint, eorumque sententias aliquando diiudicaturum, si super egenum & pauperem intellexerint, beati erunt: at si parauerint sagittas suas, vt sagittent in occulto reclus corde; exurget aliquando Dominus Deus, & exaltabitur manus eius, & patientia pauperum non peribit in sinem. Verùm de iis quæ à Superioribus, vel etiam aliunde patiendæ occurrerent, hæc dicta sufficiant.

Psal. 81.

§. 2. De iis qua agenda perperam iubentur.

Epist. 7.

Vide Basil.
q. 118. com-
pend.

A. 5.

Lib. 35.
Mor. c. 10.
sen 13.

Benè S. Bernardus animaduertit, tria esse rerum genera; bona quædam, vt fides, spes, caritas, virtutes, & virtutum exercitia; mala quædam, vt quidquid est peccatum: & denique media, qua, vt loquitur, per se, nec bona esse noscuntur, nec mala; possunt tamen indifferentes, & bene pariter, & male, vel prohiberi, vel iuberi, sed malò nullatenus in his, à subditis obediri. Ex his sunt, vt exempli gratia ponam, ieiunare, vigilare, legere, & quæque talia. Sciendum verò, quia media quædam in purorum plerumque bonorum, & malorum transeunt rationem: etenim, vt mox ait, propria possidere, seculari quidem homini medium est, quoniam & non possidere licet; monacho verò, quia possidere non licet, purum malum est. ita S. Bernardus, qui idem paulò antè, Valde peruersum est, inquebat, profiteri te obedientem, in quo noscitur superiorem propter inferiorem, id est diuinam propter humanam, soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem surdus Deus non sic Apostoli, clamant quippe dicentes, Melius est obedire Deo quam hominibus. & iterum: In medijs lex posita est obedientia, tamquam in ligno scientia boni & mali quod erat in medio paradisi. In his profectò fas non est sensum nostrum sensu præscribere magistrorum. In his omnino Prelatorum nec iussio, nec prohibitio contemenda. Sanctus verò Gregorius, breui compendio, multa complexus est cum dixit, Numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam, bonum quod agitur intermitteri. Clarius igitur est, quàm vt probando immoremur, Superiorem nullum posse iniungere, vt id agamus quod malum est, illudque malum non posse in prohibentem Deum referri. An autem verè sit malum, iudicandum relinquimus ex iis quæ suprà cap. 3. dicta sunt, & ex natura, Dei, Ecclesiæ, Religionisque præceptis ac legibus, conditione personæ, atque circumstantiis. Quibus omnibus consideratis, si contingat vt probabili ratione ductus Superior, aliquid virgeat agendum, de quo subditus dubitat an liceat; subditi est, dubitationis quidem suæ momenta expendenda exponere, & Superiore in eadem opinione perseverante, suum illius iudicio subiugare, omnemque, in qua de peccato non constet, Superioris iussionem, quasi Dei mandatum, sedulo & reuerenter implere. Certè frequenter affectus, frequenter error obrepit, falsaque persuasione ducti, mali speciem bonis rebus affingimus: & quid rarius, quàm vt aliquid mali imperetur: sed de hoc etiam in sequentibus ex occasione plura dicentur.

At officiorum locorumque mutationes, non solum solent esse permoleste, sed etiam opinione nostra, publicè priuatimque, nostro, aliorumque magno malo fieri, planè temerè iudicantur: harum causa multæ in nostris, multæ in aliorum animis perturbationes, alienationes, auersationes, factiones, ac interim lateentes, & Religiosæ vitæ penitus indecoræ similitudines, nonnullos inter progignuntur.

aur: vixque tantum vllum malum est, pernicies vllarum est execranda, vt nō reperitur qui in eam, fugiendarum harumce mutationum cupidine, incurrerit. Inde seditiones, discessiones, rebelliones, ac interdum detestando scelere vel à toto Religiosa vitæ instituto, vel ab ipsa etiam Christiana fide defectiones vel legimus, vel audiuimus, vel in posterum accidere posse præuidemus. Adeò immoderatus in priuata commoda affectus, procreare potens est tragicos exitus. Longum esset, acrius in hoc vitium inuehi: sed abunde est, cur ab eo quàm longissimè nos diuellamus: cum enim rerum futurarum inopinatissimos euentus esse constet, & frequentissimè vsuueniat, vt principiorum tristitium læti, & lætiorum tristissimi sui exitus: cum sapissimè, post eius rei, ad quam totiardebamus, adeptionem, conatum nostrorum nos fastidiosè pœniteat, votorumque nostrorum (vt quondam Theseum in Hippolyti morte fabulantur) felicitatem ipsi damnemus: cum iucunditatem, & permanentem ex aliqua re creata vtilitatem nobis prouenturam, nulla (ob omnium mutabilitatem) probabili coniectura affirmare possimus: sciamus verò Deum nostrum, vt supremum omnium Dominum & sapientissimum gubernatorem, rerum quarumcumque sortem pro sua voluntate temperare; posse ea vera, & non pœnitenda bona largiri quæ nobis non inamarecant, posse denique & illa quibus vtimur, & nos qui illis vtamur, eo in vigore & corporis & animi conseruare, vt diutissimè è singulis vtilitatem solidam cum iucunditate capiamus; nōne nobis longè consultissimum est, vt toti à diuina prouidentia pendeamus, & qui totam vitam Patri cælesti semel consecrauimus, eius quoque vitæ partes omnes, in eius arbitrio ita relinquamus, vt quidquid mutationum in gradu, officio, loco, habitatione nostra, aut re alia sit à Superioribus, id totum à diuinæ prouidentia vigilantia profectum credamus? nihilque vel de rationibus humanis, vel cuiusquam machinis cogitantes, tota mentis tranquillitate & simplicitate, nos penitus Deo committamus, illique acquiescamus? certi numquam fore vt cuiusquam consilia aut fraudes, consilio præualere possint Altrissimi; suauiter quidem, at fortiter, attinget à fine vsque ad finem, & vt eius sapiens bonitas decreuerit, ita omnia disponet. Fidamus illi, & benè nobis erit.

Est autem hæc fiducia, & omnium euentuum velut à Deo expectatio, præcipuum & maximè necessarium ad obedientiam fundamentum, quo non firmè constabillito, cetera nutant omnia, ad artes & humanas calliditates confugimus, opiniones & humanas amicitias consecretamur, ac ambitiosis prelationibus, nos desideriorum nostrorū summam consequi posse præfidimus. Iustus verò & bonus Deus, si tum etiam misericors in nos esse voluerit, hæc subuertet omnia, vtq; animū nostrum ad sanctiora conuertere, locoque meliore spem suam collocare doceat, nequaquā fraudes nostras nobis pro voto cedere patietur. Quanto salutaris à nobis esset creditū, Deum quouis maximè aduerso in casu, solai illius spe subnixis propitium affuturum, & non dico mutaturū tempestatem in serenum,

Serm. 26.
de diu.

sed facturum, ipsa ut procella sit tranquillitas, ipsa ut ardentissima fornax (quod Babylone contigit) leni roris vento refrigeret. Et verò quamdiu hoc fiducia in Deum fundamentum non ponimus; ne hilum quidem in vita spiritali proficimus, & sanctæ obedientiæ adyta nondum vel ab ipso limine salutem modo, & absorbendas Superiorum imperfectiones omnes redundet: ceteroquin qui diuinæ prouidentiae in omnibus firmissimè non adhæserit, annon admodum procliuè est ut humanas prouidentias omnes multiplici dubitatione, & prudenti- la cautione conuellat? Non aliò respexisse videtur S. Bernardus cum dixit, *Vnde scandala, vnde turbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem, & temerè, quod volumus, in corde nostro desinientes, si quo modo id prohiberi contingat aut impediri, contumaces etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus, non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti: & qui nobis casus videtur, sermo quidam Dei est suam nobis indicans voluntatem: Audite quomodo vir sanctus, ea quæ nos creaturis & hominibus affixi, permissiones, errores, casus, emulaciones, inuidiam dicimus, sermonem Dei asserit, Dei voluntatem indicantem? cur autem ita perperam loquamur, cur in impatientiâ, obmurmurationem, & scandala impingamus, verissimam profert causam, quia nostram de nobis opinionem, iudicium, voluntatem præfigentes, rerum, locorum, munerum variis affectibus adhæremus, temerè de nobis aut rebus nostris aliquid statuimus, aut optamus: vnde cum diuinæ voluntatis verax interpres Præpositus, à nostra voluntate dissentit, alia omnia statuit, & quod Deo in consilium non adhibito volueramus euerit; hinc totius mali labes, & Religiosæ obseruantie euersio, cuius damna tanto semper in deterius procedunt, quo minus persuasum est fore, ut peculiari boni Dei ope cuncta denique in maius bonum nostrum cedant. Cetera quæ hinc desiderarentur, è mox dicendis peti possunt.*

§. 3. *De Præpositis quos malos esse constat.*

Adeò nonnumquam euidens est, Præpositorum quosdam malos esse, & pessimè viuere, ut etiam malorum multorum causa sint, vel etiam (quod ratio tamen est) ea perpetrari præcipiant: qualem ergo inferior se ipsum præstare debeat dicendum est, ut si fortè Religiosam disciplinam dissoluat Præpositus, si fornicationi, ebrietati, manifestisque criminibus addictus notetur, si in eadem vitia vel exemplo, vel auctoritate suos pertrahat, si monasterij bona dilapidet, ordinem benè semper obseruatam funditus evertat: tunc enim vel ab animi perturbatione sibi cauere, vel consuetam Præposito obseruantiam deserere, non est cuiusuis, sed eius qui forti beneque præsentis sit animo.

Ergo in eam rem, quatuor nobis obseruanda sunt, persona, personæ facta, gubernatio, iussa peculiaria & ad singula quædam directa.

Quod

Quod igitur ad personam attinet, extra controuersiam est, illi obedientiam & reuerentiam eam præstandam esse, quam officij dignitas exigit: quippe quantiscumque criminibus male scateat, nisi à magistratu, vel iusta auctoritate, excidat, numquam idè licet obedientiæ iugum detrectare; imò verò reuerentia & obedientia auctoritati debentur æquales, quoties auctoritas perseverat æqualis; unde, vt cap. 2. comprobatum est, nequissimo Superiori non minor quàm optimo cuique reuerentia & obedientia debentur: crediderimque, eam quæ malo, quàm eam quæ bono exhibetur, maioris esse meriti, cum in illi nihil humane rationis aut illecebræ intercedat, purissimeque superatis quæ in contrariū essent argumentis, vicario Dei, quæ vicariam eius auctoritatem gerit, deferatur. Quod vt constanter præstare possimus, diligenter, omniq; conatu cuiusdam quod ibidem tantopere cōmendauimus, Deum vt in Superioribus respectemus, omnesque hominis imperfectiones adeò procul à nostra cogitatione ablegemus, vt iis obliteratis, ea sola in iis cōtemplemur, quæ diuinitus accepta, venerandos, suspiciendos, amandos, nobilq; sacrosanctos eos faciunt. Arduum quidè; sed exempla tantæ virtutis legimus, & verò, quæ Deo laus, vidimus. Imperfectiorum tamen maior est numerus, multiq; vitam potius quàm munus inueniunt: propterea Superiorum est, acerrimè in vitam moresque suos inquirere; nam quo pluribus expositi sunt, eo plura & grauiora scandala præbent, tantoque in grauiorem damnationem incident, quòd animarum depeculatores latroneque fuerint, qui earum defensores & saluatores destituti fuerant.

In factis quæ Præpositorum, qua ratione sunt homines, ita propria sunt, vt naturâ suâ in alios minimè deriuentur, eiq; soli qui ea perpetrat noceant; vt luxuries, ebrietas, illaque peccata, quæ licet exemplo serpent, & scandalo ceteros offendant, per se tamen publicum bonum non euertunt. certum est, illa, quando tam apertè rectæ rationi, diuinisque legibus aduersantur, approbati non posse: facilius foret media quædam, (quæ in eiusmodi personæ dignitate vitæque conditione indecora & mala essent) vt scurrilitatem, comtorem ornatum, & eiusmodi leuiora excusare. Quamuis tamen grauiora illa peccata approbati non possint, possumus ab illis improbandis abstinere, nostramque ab istis ad alia cogitationem conuertere: vt quid enim de ijs qui extra nostram curam, extra nostram potestatem sunt, quorum neque reprehensioni, neq; emendationi, neque punitioni instare nostrum est, vt quid frustra sollicito cogitatu inuolui? qui ad nos non spectant, quorum medela in nobis non est, illi quoque nos nec tangant, nec angant, nec moueant: nisi si caritatis miseratione laudabili, diuinæ maiestati pro eorum peccatis supplices preces offerimus, idq; ita pacatè, ita imperturbatè, ac si eas pro quouis ignotissimo peccatore funderemus. Vbi quanta moderatione sit utendū, præclarissimū, & numeris omnibus absolutissimum in Dauide erga Saulem exemplum habemus, de quo præstat vt D. Gregorium, virum in moribus instruendis admirabilem audiamus: quippe quæ in rem hanc mirè

mirè faciant; his verbis præclare scribit: Admonendi sunt subditi, ne Præpositorum suorum vitam temerè iudicent; si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident: ne vnde mala rectè redarguunt; inde per elationis impulsu in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne, cum culpas Præpositorum considerant, contra eos audaces fiant, sed sic si qua valde sunt eorum prava, ac apud semetipsos diiudicent, ut tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentia non recusent. Quod melius ostendimus si David factum ad medium deducamus: Saül quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat, cumq; eum viri sui ad ferendum Saül accenderent, fugit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberent; qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saül nisi mali retores, quid per David nisi boni subditi designantur: Saül igitur ventrem purgare est, prauos Præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseria extendere, & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo, monstrare: quem tamen David ferire metuit, quia pie subditorum mentes, ab omni se peste obrectationis abstinentes, Præpositorum vitam nullo lingua gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt: qui & si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quadam atque exteriora Præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt, quia videlicet, dum Prælata dignitati saltem innoxie & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem secant; sed tamen ad semetipsos redeunt, seg, vehementissimè vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt: vnde bene & illic scriptum est, Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saül. Facta quippe Præpositorum, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum rectè reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem penitentia, cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cum Præposita potestati deliquerit, eius contra se iudicium à quo sibi prælata est, perhorrescat: nam cum in Præpositis delinquimus, eius ordinationi qui eos nobis prætulit, obuiamus: Vnde Moyses, quogut, cum contra se & Aaron conqueri populum agnouisset, ait: Nos enim quid sumus: nec contra nos est mormur vestrum, sed contra Dominum. Hæc est nobis & reliqua Davidis modestia diligenter imitanda, fidentium Domino, præcipitandum nihil, manus, & dies Domini expectanda: quis enim, ut idem loquitur, extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?

Sed de gubernatione aliquid dicamus: si enim manifestè peruersa est, si aperte alios corrumpit, si hæreses & errores in fide disseminat, si florentem olim disciplinam relaxat, si mores prauos inducit, si bona pessumdat, humana pariter & diuina confundit, longè minùs posse negligi videtur. quid enim? possumne, qui ista video, qui decorem domus Domini diligo, qui totius Religiosi corporis ruinam intueor, meque vnum de membris eius agnosco, possumne non condolere, non conqueri, non etiam aliquos suscitare qui se Superiori, non pastorem sed lupum agenti, fortiter opponant?

Grauis

Pastor.
eu-a p. 3.
c. 5.

1. Reg. 24.

Exodi 16.

1. Reg. 26.

Gravis profectò tentatio: in qua tamen quo iustior videtur esse dolor, eo magis vt ne modus excedatur cauendū est, quippe nulla vitia periculosiora sunt ijs, quibus virtutis species habenas laxat. Vbi ergo qui cōseruator esse debuerat, ille vastator est Ordinis, videndum est vt verè vastatorem esse constet: sunt enim qui consuetudinum leuiorum, cerimoniarum, earumque quas *observantias* vocant, vel alicuius externæ rei supra modum æmulatores, euerforem omnium Superiorem inclamant, in inuidiam, & in odium vocāt, si quid istorum aut neglexerit, aut immutarit. Sed hac fallitate reiecta, cū verè constat euerforem esse, profectò licet dolere, imò probi Religiosi officio non fungeretur, qui Religionis tanto malo non doleret.

At verò apud quem conqueratur videndum: nam, si apud alium Religiosum simplicem, pacatum, doli nihil suspicantem, malisque medicandis ineptum; vt quid illum imprudēti & inutili narratione de sua pace deturbare? hoc lanè animaduertēdum seridè est, ne peccatum peccato aggeramus, & medelæ simulatione insanabile vulnus infligamus. Execrabilem hanc perniciem in rebus longè naturā leuioribus, at vsu valdè damnificis, vigere interdum videas; est qui se nasutiorem credit, simpliciore ea suggerit quibus eius oculos in malam calliditatem aperiat, & à sincera simplicitate abducat: Nō vides, inquit, quod tibi, eadē in causa, vel etiam tua ex parte meliori, iniuncta sit pœna, & non isti: vexat censura columbas: ouem lupus rapit, elamosos dentatosque; canes formidat. nō vides quos tibi conciliare, quibus artibus vti debeas, vt quæcumque voles impetres? Hi sunt, subdoli serpentis susuri venenati: hi, quos è latebris suis educere, omniq; industria & seueritate vehementer coërcere Superiores debent. Ah quoties, sanctè in cōspectu Dei ambulāre non pauci, cū ecce se insinuauerūt hæ pestes, & qui spiritu caritatis cœperant, æmulationis, inuidiæ, suspicionum, & de Præpositis diffidētiae liuore consumti intabuerunt! Sed eò, vnde me abduxerat indignatio, redeamus. Videndū ergo, ne apud eos cōqueramur, quibus querelæ nostræ sine fructu damnū inferūt, sed apud eos qui nullo suo malo multum nobis profunt; & rem inclinātam, vel consilio, vel ope sustentare possunt. Cauendum etiam ne querelæ nostræ animos exacerbent, dissensiones ac rebelliones subditorum foueant: vt enim conquerendi iusta causa esse possit, at nulla rebellandi, vel imperia licita detrectandi. quare id aptissimum videtur, vt apud alterum Superiorem qui euerfori illi imperare, eumque coërcere potest, nostræ querelæ deponātur: quod si minus fieri possit, tū certè id præstemus quod paulò post subiūgam.

Postremum supererat, de iustis peculiaribus ad singula quædam nominatim diserteque prolatis: quæ si apertum planè peccatum iubeant, ex dictis, & iudicio naturæ notum est, esse omnino refutanda. Verum in Religiosis illis familijs, in quibus diuinæ legis viget observantia, & necdum Dei timor omnis depositus est, ibi in sermonem inferre, si ne Superiori peccata iubenti obtemperandum, hominum videtur esse peruicacitati patrocina quærentium, & suæ in

Superiores irreuerentia, alicunde speciem honesti prætexere conantur. Constat enim eiusmodi iussa, vsque adeo non vsurpari, vt quando Præsidibus obstititur, rarò id fiat quia peccato habenas laxant, sed vt plurimum quia vel austeriora, vel perfectiora præcipiunt: de quorum zelo, moderatione & fortitudine multa sunt quæ dici possent, at à nostro instituto nunc temporis aliena. Quòd si fortè in Præpositos eos incideris, qui à caritate Dei exciderunt, multa passim perperam iuberi necesse est: cui enim sit bonus, qui sibi nequam est? & qui in grauissimo diuinissimoque gubernandi munere à Deo recesserint, eritne vel hominis, vel regulæ, vel rei vllius ratio, quæ tales in officio contineat hinc temerè, & imprudenter, quin & impudenter, vt affectus, vt perturbatio, vt libido impulerit, multa iubent; viris bonis graues sunt, nulloque loco pacatos consistere patiuntur, improbis verò & sui similibus blandi, illis ad omnem cupiditatis explendæ libidinem patrocinantur.

Si igitur in eiusmodi, (quod semper à nobis auertat Deus) sed si quando in eiusmodi exundationem nequitia inciderimus, quam iure nuncupare possumus *abominationem desolationis, in loco sancto stantem*: quid enim aliud, quam locum illum sanctum in quo præsidet, execratione sua desolat & deualtat? tum sanè pro anima nostra viriliter decertemus, & non solùm aliena improbitas nihil nobis oberit, sed etiam proderit plurimùm: non enim inter probos, sed inter improbos, probum esse præclarum est. Hoc autem vt præstemus, cauendum est *ne emulemur in malignantibus, & ne facientes iniquitatem zelemur, instar floris, feni decident, & velociter arescent, & malitia iustas penas luent. Latentur, & vitam in voluptate traducant, at turpissimo fine claudentur, eiekti in tenebras exteriores, vbi fletus, & præ dolore stridor dentium, vigeat aternùm.* Hæc de improbis cogitanda, vt sortem ipsorum lugeamus potius quam concupiscamus.

At verò, tu quisquis in medio eiusmodi, olim quidem Ierusalem, nunc autem Babylonis es positus; cane canticum Domino, nec melioris & cælestis Ierusalem matris tuæ te capiat obliuio; in ea aliquando extra scandala, victurum te spera: gratias age Deo quòd ex aliorum improbitate tristaris: putaque hoc ipsum tibi cælitus affulisse, hoc vnum tibi restare quærendum, animam vt tuam salues: nec res, nec personæ vllæ ipsi nocuerint, si eam lucrifeceris. Variæ sunt in cælestem gloriam penetrandi viæ: hanc ipse tibi positam puta, puta tibi ea conditione venale cælum, si alienos errores, & mala publici lugeas. Paupertate alij, alij mititate, alij misericordia, castitate, persecutione, martyrio sint beati, nec inuideas: tu in tuo beatitudinis oblato talento sis fidelis, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: simpliciterque ac humiliter credas, et si prouidisse Deum, vt qui bonis propriis vigere non poteras, alienis saltem malis lugendis & ferendis, aternam claritatem mercari possis. Propter scelera populi sui, & propter Regum multiplicem impietatem, olim in Iudæos, scelum Dei populum, exarsit vindicta diuina, decreuitque eos Nabuchodonosor

fori tradere, terram vastare, gentem in varias oras dira seruitute dispergere: feueram hanc sententiam, Prophetæ Jeremiæ ore prolatam descripsit Baruch, qui populi sui miseratione, grauissimæque temporum calamitatis horrore percussus, lamentando dixit, *Va misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori* *Jerem. 45.* *meo: laboravi in gemitu meo, & requiem non inueni.* Huic eius querelæ ex misericordia ortæ, quid misericors & miserator Dominus responderit attende: sic enim per Jeremiam illi responderi voluit: *Ecce quos adificavi, ego destruo: & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hanc. Et tu quaris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adduco malum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis ad quacumque perrexeris.* O egregiam operæ præstitæ compensationem! sed similiter qui in medio Religionis præuæ, & iam non Religionis habitat, & neglectos Dei honores luget, sibi à Domino dici existimet; Ecce propter negligentiam & corporem præteritum; quia non cognouerunt in die sua patres vestri quæ ad salutem ipsorum erant; quia Præpositos illos, qui ad meliora hortabantur, obseratis auribus non audierunt; iniqui & ingrati ipsorum animi clamor in cælum vsque peruenit; regnare facio hypocritam; quos ædificavi, ego destruo; quos plantaui, ego euello; & vniuersam domum hanc, quam è domo orationis & humilitatis, in speluncam ganeonum, auarorum, murmuratorum, ingratorum, superbiorumque mutarunt, domum inquam, & olim dilectam hereditatem euerto: Et tu nunc, quid quæris tibi? attamen, quia non te, sed me quaris, & honoris mei zelo duceris, *dabo tibi animam tuam in salutem, confortare, & esto constans, consumam ceteros, te verò non consumam, sed castigabo in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.* *Habes etiam annum quod eluas; & quod communium cladum in te redundabit, hoc tuis peccatis te commeruisse existima.* *Jerem. 46.*

Certè enim hæc est ad iræ diuinæ placationem, & ad sanctitatem veram via certissima, si quis ea omnia tum suis, tum suorum maiorum apertis vel occultis peccatis ac negligentijs accepta ferat, & iustitiæ diuinæ in vindictam exardescens flagella, tanta demissione & humilitate excipiat, vt pater ille misericors, qui *cor contritum & humiliatum non despicit*, qui que ideo punit quia misereri vult, in melius conuertat omnia, sublatisque è medio omnibus qui Religionis honestatem impugnabant, pristino illam decori restituat. Quod quia facillè potest, ideo numquam desperandum; interim verò gemendum, orandum, in cordis contritione, & verecundo pudore, vt veteres Prophetas legimus, perseverandum, donec *exurgat Deus & dissipentur inimici eius, iusti autem roborentur, & exultent in letitia.*

Tanta enim est diuinæ bonitatis abundantia, magnis vt è malis magna bona exoriri faciat, & vbi multiplex viguit iniquitas, ibi multiplex erumpat caritas: quate in rebus istis perditissimis, se ipsam spe meliorum potest vnusquisque solari, sibi que persuadere, numquam ea permissurum Deum fuisse, nisi

Epist. 87.

nisi maiora quædam bona suo tempore inde esset educturus. Quod ipsum quia S. Bernardus in propriis peccatis consulit, quanto magis in alienis id non dedecere credendum est: sic enim epistola quadam, vnumquemque, peccato perpetrato, se ipsum alloqui oportere scribit; *Malè quidem egi; sed factum est, & iam non potest non fieri. Quis scit si hoc mihi Deus expedire prouiderit, & de malo meo ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit? malum ergo puniat quod ego feci; bonum autem maneat, quod ipse prouidit. Nostris quippe inordinatis, seu voluntatibus, seu actionibus, nouit bonitas Dei uti, semper quidem rectè in sui ordinis pulchritudinem: sæpè etiã piè in nostram utilitatem. O clementissima in filios Adam, diuina bonitatis recordatio, quæ sua non desinit largiri beneficia, non solum ubi nullum inuenit meritum, sed plerumque etiã ubi totum inuenit contrarium! ita ille, subtiliter euentum à voluntate scernens; praua est voluntas, vituperetur, corrigatur; euentus bonus est, expectetur, & ut à Deo laudetur, nec ei noceat voluntatis aliena peruersitas: radiantis auri fulgorem, non faciunt fodinarum tenebræ aspernabilem. Citò decidunt & flaccescunt, quæ citò & facillè maturescunt, ideoque non rarò accidit, ut aliquod ad tempus malum, sit apprimè necessarium, ut bonum præsens augeatur, pluris fiat, & maiore diligentia conseruetur: humanis mentibus, ubi non exercentur, tepor & fœcordia turripunt; assiduitate, & facilitate vilescit virtus: Religiosæque disciplinæ splendor non ferit oculos, ad eum nimia consuetudine non intentos. hinc fit interdum, diuino maximè fauore adspirante, ut quemadmodum in corporibus humanis quoddam aliquando profluuium, est sanitati confirmandæ opportunum, vel instantes morbos propellit, ita in Religioso & homine & corpore, quædam à Religionis rigore laxitas aberrans, uersis in solitudinem animis, stabilendam firmiùs Religiosæ disciplinæ, & remissioni ab omni aditu prohibendæ plurimùm conferat. En ergo quomodo oculi nostri semper ad Dominum, semper in eo, etiã contra spem, sperandum, & sic omnis à nobis perturbatio in perpetuum exulabit.*

CAPVT VI.

An opinionum diuersarum diuersi sensus obedientie repugnent.

HÆc idè nobis necessariò sunt euoluenda, quia constat opinionum diuersitatem, iudiciorum fouere diuersitatem, vnde voluntatum dissensus oriatur; cum tamen Præpositorum, & priuatorum, idem iudicium, voluntas esse eadem debeat. Hoc autem in humanæ vitæ rationibus & actionibus, tantarationum inter se compugnantium probabilitate & obscuritate constantibus,

bus, quomodo possit perfici, non satis videtur explicari posse. Multa quippe sunt in quibus à Præfectis dissentire sine piaculo potest subditus, tantumque illum opinionum omnium consensum, nemo vniquam Religiosæ familie auctor lege lata videtur exegisse: necesse etiam est, in ijs Religiosis institutis quæ habent proximos & intermedios, quos notiore & hodie vitatiore vocabulo dicunt immediatos & mediatos Præpositos, necesse inquam est, vt à subditis, Præpositorum proximorum mores, vitia, virtutesque ad intermedios deferantur; quod profectò absque aliqua iudicandi, animaduertendi, diuersa censendi libertate, non posse fieri videtur, nec etiam ab humana infirmitate amplius aliquid desiderandum esse. Sed &, tanto illi per omnia consensui, aduersum admodum videtur, quòd S. Gregorius interdum quoque à subditis Præpositos reprehendi posse concedit: quis autem sanæ mentis homo id à se reprehendi profiteatur, quod ita fieri debuisset opinetur, aut iudicet: reprehendimus, quod improbamus; quod probamus, id laudamus. Ergo laborandum nobis est, vt quæ opinionum varietas cum obedientia conciliari possit ostendamus.

Quò vt pertingere possimus, animaduertendum est, varias esse opiniones, varias res, varias personas, varios agendi modos, quæ singula si probè dignoscantur, magnum lumen præferent, docebuntque quousque dissentire sine vitio possunt, & quam sollicitè à subtilissimo proprii iudicij insidiatore nobis cauere, quamque non sit dubium, quin longè præstet (vbicumque peccatum non cernitur) nusquam à Superiore dissentire. Sed ad singula, quæ posuimus, aggrediamur; sic tamen vt leue ac tenue omne id quod intulero lumen agnoscam, præ eo quod à largitate & liberalitate sancti Spiritus nobis exposcendum, & multa prece impetrandum erit.

Opinionum igitur aliæ sunt practicae, aliæ speculatiuæ, de eadem vel de diuersa re. Practicas intelligo quæ faciunt, & mouent ad actionem aliquam, hoc loco, hoc tempore, certo quodam modo, vel dirigendam, vel efficiendam, vel euitandam. Speculatiuas verò quæ ad nullam rem destinatò agendam spectant, sed ad solam veritatis existimatæ declarationem vel affirmationem conferunt, aut etiam interdum de nulla quidem re nunc agenda, sed de iis quæ forsitan agenda occurrerent generatim præcipiunt; quales multæ à Philosophis, multæ à Theologis disputantur: & in eundem numerum eas refero quæ generatim loquuntur, vt caritatem & virtutem esse quærendam, mansuetudinem esse laudabilem: quamquam has inter, sua est quoque diuersitas, at minus id nostrum est. In ijs autem quæ speculatiuæ sunt, non solet tam rigidè vrgeri, vt inferior cum Superiore consentiat, cum in ea re momenti multum inesse non putetur, fierique non possit quin intellectuum (qui naturæ vim sequuntur) varietas varietatem gignat opinionum: vnde hætenus inuentus est nemo, qui præceptis sui, vel alterius placitis, ad fidem diuinam certò non spectantibus, per omnia proflus adha-

Lib 25.
Mor. c. 14.
Ier. 21. Ep. p.
2. Pastor. c. 8.

resceret. Expedi tamen, ut ne quidem in speculatiuis, nimia sit ad erigendum, censendum, dissentiendumque libertas: ferè quippe nostras opiniones, eosque qui nobiscum sentiunt arctius complectimur, laudamus, commendamus, cum eis familiarius loquimur & versamur, sæpè etiam contrasentientes auersamus, & deprimimus, minoris esse iudicij, non satis in res ipsas penetrare, pertinacius credimus: quæ omnia nequaquam est dubium, quin firmitissimæ caritatis beneuolentiæ contraria sint, fraternitati Religiosæ requebre sunt de eiusmodi subtilioribus rebus tractationes, opinionum uarietati modum adhiberi necesse est; nouitati tamen præ omnibus hæc enim solet esse maximè exosa, ut etiam id omne quod eximium ac singulare præ reliquis videtur eminere, & iactabundum aliquid præferre: est enim vitiorum omnium odiosissima superbia, & rari reperiuntur eò usque perfecti, ut sui futurumve rerum contemptum æquo animo ferant; ista uero legrex nouitas speciem præbet, quasi si plus nimio velit sapere, & mediocritatem ceterorum, receptarumque sententiarum auctoritatem aspernetur, at suo ipsius ingenio præferat, se solam magni faciat, sibi soli adblandiri dignetur.

Nihilominus quamdiu à rebus fide diuina comprehensis, & sentiendi libertatem non patientibus abstinetur, ex hac speculatiuarum opinionum diuersitate minor quam ex practicarum, offensio & dissensio animorum oritur, ut lo-tis docet experientia. Ortum uero ducit ex eo, quod practicæ opiniones sunt de rebus certa ratione peragendis, ipsas autem res affectu magno sæpè complectimur, atque acri desiderio ut hoc uel illud fiat inflammamur, longè etiã plurius facimus ut prudentes, quam ut subtilis ingenij habeamur; multoq; reperiuntur qui ingenuè ad subtilitates istas minus se natos esse fateantur; at nescio, an uel u-num aliquem, qui sibi prudentiam non uendicet. Cum autem de rebus agendis disceptatur, tunc propriè prudentum est consilia definire, cumq; una pars eligitur, aperte, & re ipsa, quod ad rem præsentem attinet, altera improbat, & reijcienda monstratur. At in speculatiuis, licet unicuique gratum esse soleat ut ingenij acumine pollere uideatur, si tamen contra, in cuiuspiam rei disceptatione, sentitur & non ceditur, non idè diuersè opinantes iritantur: quia sententiarum dissensionem solent multa lenire, & ne animorum diuisionem parum impedire: tantam enim rerum & causarum obscuritatem esse agnoscunt omnes, ut ingeniosissimi quique sibi plurima incerta & ignota fateantur: id etiã de quo agitur eiusmodi est, ut affectum nostrum ad se nullatenus pelliciat; & quamuis aliqui unius parti uerementius assentiantur & faueant, simul tamen solent probabilitatem alterius agnoscere, quod est non parum alteri opinioni deesse, sciunt quippe, nisi id fecerint, eamque pro probabili habuerint, multum de suo ipsorum honore decessurum: ingeniorum enim admodum mediocrium indicium est, ita unius sententiæ angustijs clausum teneri, ut ad alterius probabili-

rarem intuendam non possit animi acies explicari. Quæ igitur dicemus, ad practicas opiniones potissimè dirigentur.

Verùm in speculatiuis opinionibus obseruandum, redundentne in practicas, annon? si enim redundant, diligentior est illis cautio adhibenda. Non redundant autè in practicas; vel quando sunt de materia diuersa, quod vt perspicuum omitto; vel etiam quãdo est eadè de re, sed ita vt in speculatione diuersa, praxim eandem esse debere sit in confesso. quod contingit ex eo, quòd adiungitur quædam circumstantia eo modo, vt tunc satis constet sic agendum: veluti si generatim iudico, non esse vitam magno periculo exponendam, en opinionem speculatiuam, vt intelligendum dixi; alius autem iudicat, sibi cum in Angliam ad hæreticos, in Indiam ad paganos mittitur, vitam omnibus periculis exponendam esse; en practicam, quæ à diuersa speculatiua non dissentit: satis enim intelligitur vitam periculo non exponendam, temerè scilicet, nullaq; iusta causa; at diuini honoris amplificandi causa, iustissimè exponi. Cùm autem eiusmodi plura, sed non ita plana, incidant, diligenter intuendum, quàm aptè, propriè & propinquè, id quod contemplationi subest, actioni coniungatur: cauendumque ne continuò idem de vtrisque iudicium feramus, ne puremus eos vel à se ipsis vel ab alijs discrepare, qui speculatiuam opinionem à practica diuersam fouent: rationes vtriusque querendæ, quas vbi liquidò deprehenderimus, non erit arduum vnã alteri conciliare veritatem.

Quam etiam in rem non parum conferet, animaduertisse quàm sit frequēs, vt eadem actio generatim improbata, particulariter probetur; vel etiã particulariter improbata, generatim approbetur: nam vel personæ, vel tempora, vel occasiones, vel circumstantiæ, sæpè laudabiles, sæpè & illaudabiles actiones reddunt. exempli gratia, reprehensio acris & vehemens, frequentialque repetita, quæ modum videatur excedere, vulgò vituperanda est; est tamen vbi iustissima & necessaria sit: quare si Superior alicui eam adhibeat, mihi verò generatim cogitanti, dura videatur, sic tamen vt existimem, Superiorem iusta aliqua ratione permotum, vel puniendi, vel alterius exercendi causa, meritò seueriorem se præbuisse; si iudico periculi plenam istam actionem fuisse, magnas in alijs parua de re tentationes excitatas, non ita consentaneum benignitati Religiosæ modum illum: verumtamen hanc istis iudicijs moderationem adhibeo, vt in particulari ex causis mihi ignotis, id benè & prudenter factum existimem, Deumq; omnia in melius versurum, nec esse angustè pertimescendum ne tentetur, qui victoriam relaturus creditur; sed & quamuis animo conciderit, numquid propterea ab occasione patiendi iustè danda cessandum fuerat? certè dum sic iudicia iudicijs, cogitationes cogitationibus, vel corrigo, vel immisceo, nusquam à me Superioris honor læditur.

Hæc est ratio vna expeditissima, qua Religiosus in aliorum actiones animum prudenter possit aduertere, & interim eum à iudicio ferendo, & ab omni af-

fectus

sensus temeritate prohibere; possit quod est prudentiæ seruare, neque longius
 à simplicitate discedere; Superiori proximo humiliter obedire, & interme-
 dium de ijs quæ geruntur reddere fideliter certiozem. Cùm enim plurima sint,
 quæ iudicio naturæ, præceptionum consensione vel dissensione, & rerum ex-
 perientia edocti, diiudicare possumus rectène an malè fiant, si quando con-
 gerit vt præter exactam prudentiæ legem, præter exempla consueta maiorum,
 præter instituti peculiaris formam, præter receptos probatosque mores, aut
 alia quapiam specie non bona, fieri nonnulla videamus; hoc ipsum (vbi est
 grauitas id videretur postulare) ad Superiorem mediatum deferre debemus. Vt
 autem & moderatio & reuerentia debita seruetur, faciendum vt factorum sim-
 plici & nuda narratione contenti simus, nec nostras amplificationes, nec opo-
 strum iudicium interponamus; quin, de totius facti vel æquitate, vel iniqui-
 te, non aliud nobis liquere asseramus, quàm quòd, pro reuerentia quæ nobis
 erga Superiorem est, in iustiore & nobis ignotiore causa permotum credimus ea
 autem ita sit, nec ne, neque nostrum esse perquirere, & apud Superioris aures
 tutius deponi.

Hic tamen primò cauendum est, ne ad generales eiusmodi factorum alieno-
 rum improbationes, proniores nos faciat, illis quasi licitis assuescere, rariùs tan-
 tùm vtamur, & tunc solum quando facti euidencia & perspicuitas tanta est, vt
 cuiusuis animum ad se conuertat. Secundò, fortiter est nostra ad sinistras in-
 terpretationes cohibenda procliuitas: quod ni fecerimus, facile accidet vt
 eadem praua propensione indefinenter sollicitante, quæ generatim minus pro-
 bamus, ea quoque singillatim improbemus, sensumque progredientes longius,
 de ijs etiam sermone detrahemus, à personis animò abalienemur, iudicioque
 isti prauo quasi certissimo adhærescamus pertinaciter: sic enim semper grauior
 efficitur in deteriora prolapsio. Vt autem id euitemus, conferet plurimum, si
 exercitatione frequente conemur, vt earum rerum quæ passim ab æqualibus
 nostris fiunt, & aliquam fortè mali speciem præferunt, excusationes multæ
 practicæ animo occurrant, laudandis probabili aliqua ratione factis alienis in-
 cumbamus, & eiusmodi laudationibus insuescamus; suspensiones omnes, sinis-
 tras interpretationes, vel benè ac laudabiliter gestorum eleuationes horreo-
 mus: certè enim non fucata & verè magnanimæ mentis indicium est, alie-
 na vituperatione tristari, aliena laude delectari. Quam in rem meminisse
 oportet, profundis omnino latebris humana omnia homini contegi, voluntates
 ignotas, fines incertos, ratiocinationes dubias, vt incomparabiliter tutius
 sit iudicandis alienis abstinere, aut etiam in meliorem partem detorquere.

Iam verò diuersissimæ sunt res, de quibus agendis alternante opinione tra-
 ctatur: sunt enim aliqua leuis admodum momenti, de quibus diuersa sen-
 tire imprudentis, esse puto, cùm longè potius sit iudicium suum alterius
 iudicio conformare, quàm leuissima in re contentiosum esse. Omnis autem
 cum

cum æqualibus rixandi, contendendi, diuersa sentiendi, sibi quæ in argutationibus placendi assuetudo, periculosa est: iudicium enim asperat, pronum ad contentiones, ad consensionem difficile reddit, fierique nequit ut qui æqualibus asper & intractabilis est, is Præsidibus constanter & perseveranter lenem se ac morigerum præbeat: timore quidem interdum coerceretur, ac virtutis radice non firmata, non poterit vel simulatio, vel violentia esse diuturna; illa morum asperitas erumpet aliquando, tandemque quasi obice rupto, iudicij sui pertinaciam in ipsos Præpositos obstinata contorquebit. Hæc de rebus leuioribus; sin autem maioris momenti sunt, ea de re vel certa est, vel incerta, vel probabilis opinio quam sequendam Superior deligit: si certior quædam est, eam tamen missam faciens, incertam opinionem sequendam Superior amplectitur, partim ad ea quæ de malè iussis & factis dicta sunt recurrendum, partim eo ipso condemnari non debet quod incertam sequitur, & fortasse aliquid quod ignoras habet, quo certiozem eam reddat: sed & incertum certò condemnare non est æquum; quòd si certò damnandus non est, præstat ut qui nocens euidenter non probatur, existimetur innocens. At si probabilis est ea pars, in quam Superior flectitur, quantumuis aliud subdito probabilius videatur, non potest non esse æquissimum, ut inferior, id quod probabile est, & à Superiore probatur, id, inquam, ipse quoque toto mentis adnitu probet, & ut ad felicem exitum perducatur incumbat. Illud idem in rebus dubijs præstandum esse, & à Superioris partibus esse standum patet, quare pluribus nõ est opus.

Personarum quoque ingenium, & varia conditio efficit ut aliter atque aliter de varietate opinionum sit sentiendum: etenim si Superior is fuerit, qui plurium annorum experientia, & singulari virtute probatus est, inferior autem iuuenis, aut nondum in Religionis palæstra diu multumque exercitus: profectò præfidens hic sit & superbus, si curiosius in Superioris iussa inquirere, si simplicem omni cum approbatione obedientiam illi denegare audeat. Quòd si & experientia & Religiose perfectionis obseruatione Præposito sit æqualis, videatur autem alicubi Præpositus ab eo quod rectius est aberrare: præstandum primò est, ut omnis in iudicando temeritas procul ablegetur, & in Præpositi partes ac sententiam non propendeatur, sed pedibus etiam & manibus eatur. quo conatu adhibito, si de Superioris facto generalis dubitatio perseverat, & stimulat; seruetur nobis est affectus noster, ne illum æmulatio, vel amor, vel timor, vel aliquid minus rectum inficiat: sin autem post eiusmodi inquisitionem videmur meritò moueri, tum certè præstat id totum Deo committere, nostramque in silentio & spe fortitudinem ponere, vel, si res exigit, post imploratam diuini Spiritus gratiam, ad Superiorem accedamus, quid cogitationi obuersetur depromamus, non ut alieni facti, sed ut nostræ in iudicando tenuitatis accusatores, ac nullatenus dubitantes quin Superior huius fluctuationis causam omnem sit sublaturus. Cùm autem ita dixerimus,

mus, rationesque cur contrà sentiamus protulerimus, de cetero nostri officij, vt siue nostras in oppositum rationes Superior dissoluerit, siue nulli dignatos responsione dimiserit, nihil nos à tranquillitate dimoueat, sed si argumenta nostra intellexit, & in eadem sententia perseverat, planè credamus iustas eiusmodi factis subesse rationes, esseque tota mentis humilitate id comprobandum. At verò si Superior is fuerit qui aut iunior sit, aut inexpertus, aut in ijs quæ ad sui status cognitionem faciunt, ignorans & incurius; subditus verò eiusmodi sit vt auctoritate, experientia, instituti sui cognitione, ardenti- que amore præfulgeat, videat autem secus fieri & præcipi quàm bonum commune, & vsitata instituti atque approbata ratio postulet: primò quidem videndum vt euidentissimè constet Superiorem quidem meritò videri errare; deinde, reuerentiam erga illum inuiolatam & illibatam seruet; tum, prudenter & sollicitè, nec sine multa prece dispiciat, quæ via videatur aptior, vt Superior meliora omnia persuadeantur, quam vbi repererit, constanter teneat. Vt autem reperiat, consultissimum fuerit, audire quid super eo confessarius, quid vir aliquis prudens sentiat: frenim vsquam, hic certè cauendum in primis, ne suo ipsius iudicio nimium credat quisquam. At verò si ne sicquidem, vlla meliorum rerum spes affulget, sitque interdum vt inemendabiles quorundam ad gubernationem ineptorum sint mores incommodi, vt asperitas, incuria, credendi vel suspicandi facilitas, timiditas, aut præsentia, & alia plura, quid restat, quàm vt eiusmodi res deploratæ diuinæ prouidentia committantur, ab illaque tempora expectentur, quibus meliore spiritu & amplioribus gratiis ornare Superiorem, & in melius omnia reformare decreuit: interim ex omnibus fructum patientiæ, humilitatis, deuotionis, obedientiæ & virtutum solidarum plurimarumque decerpat. Pro comperto etiam habeat, non tantum sibi scientiæ, discretionisve, vel in Religionis rebus experientiæ esse, quin aliquando falli possit, & re ipsa fallatur: quin aliquando etiam à timore (& præsertim Superiore, cui propior adest Deus) melius aliquid perspicere possit: quæ verissima cogitatio, si seriò & ex animo suscipitur, spiritus alicuius comprimer, efficietque vt consideratiorem in iudicando, & se in agendo moderatiorem subditus præbeat.

In eandem rem iuuabit, eorum quæ sequuntur, sæpius pertractatam vni atque veritatem, quasi præsentem animo, semperque oculis obuersantem circumferre: nempe, Superior quidem quæ homo est, errare potest, idque vel bona fide, vel dolo malo: at quod fieri potest non propterea fit, & hominem ab homine, multoque magis Præpositum à subdito de errore vel dolo damnari intutum est, & peccato expositum: contraque virtutis est, & bonæ mentis, de se alios æstimare, aliorumque quorum correctio nobis non incumbit, peccata non videre vel speciosæ excusationis velo contegere. Quare Climacus ait, *La-*

Grado.

timare, est impudens direptio diuina dignitatis: condemnare autem, animæ propriæ

seruare.

teritus. Et mox; Neque si oculis tuis peccatum videris condemnes, neque illis credas: sapias enim falluntur & ipsi. Et D. Hieronymus, Bene facis, quod ex tua mente, etiam Epist. 99. malos bonos putas. Periculosum quippe est, de seruo alterius iudicare: & non facili venia, prana dixisse de rebus. Hæc de alijs: de me verò, mihi certum & hoc esse debet: Homo quoque sum, & à me humani nihil alienum puto: errare possum, peccare possum, idque vtrumque, vel bona pariter fide, vel dolo malo; & quavis doli mali mihi non videar conscius, nō tamen idcirco diuino iudicio iustus sum, me amor meus fortassis excæcat, & me latenter perimunt tenebricoso affectu obuoluta peccata, interimq; malè prudēs alienas & incertas persecutor cicatrices, interna propriae mentis vulnera incognita & insanata dimittens: quo ipso quid absurdius dici potest? Item, & hoc perpende; A Superiore Deus exiget vt dirigat, à me vt dirigat; non quidem exiget à me quomodo dirigat, sed an quā dirigat tendam, & me dirigi sinam: Superior, vt sine errore dirigat, à Deo adiuuatur; sed licet imprudentia, vel malitia sua malè regeret, quid ad me? ipse viderit: ego si simpliciter subijctor, sine errore dirigor; obedienti enim omnia cooperantur in bonum, & feliciter cedunt. quod si quando non benè cesserit, necesse est vt aliqua inobedientia, de Deo diffidentia, nimia sui iudicij existimatio, de sua prudentia superba confusio, vel eiusmodi nauis aliquis intercesserit. quid ergo mihi melius, quàm simplici mente, vbi peccatum non est, parere: & ex alterius peccato, si quod esset, sed neque esse scio, neque scire cupio, virtutis mihi materiam creare? Præterea, sunt etiam certa quæ sequuntur; Superior, membrum, sed eximium, Religionis est, custosque regularum, vnde illas conseruare debet, non immutare vel infringere; & quia instar capitis est, qui caueat, videat, sentiat, imò præcaueat, præuideat, præsentiat ceteris; illius est prouidè efficere vt subiecta sibi membra, non tantum viuant, sed vegeta quoque sint & robusta, hoc est longè & feliciter in arrepti instituti perfectione procedant. Ego verò, qui subditus sum, Religionis eiusdem membrum sum, non tamen in eadem arce & specula positum; meum proinde est, Religionis bonum, disertè & pro mea virili æmulari; in hoc autem maxime, vt officij mihi demanati partes probè exequar, duci que & imperatori meo ad verba sollicitius obediam: quia tamen vterque vnus & eiusdem corporis membrum sumus; alter alterius bono consulere, malis occurrere, & vicissim commodare debemus. possum igitur pro gradu, pro loco, pro ætate, & experientia mea Superiorem iuuare, & interdum admonere; quis scit an per me id fieri velit Deus, qui aliquos nonnumquam aliquibus corrigendis, & ad meliora traducendis destinat? Quod tamen quo pacto sit aggrediendum, prudentiæ sagacitas doceat.

Et quidem hæc singula permagna vi pollent, & sua luce res has obscurissimas non parum illustrent: addam tamen, quid coniunctim ex omnibus ad hæc euoluenda conducatur. sic enim ratiocinari quisque debet: Superior, quia vice Dei

præsides, magisque propriè *in manu Dei est cor regis*, magis à Deo mouetur, & minus est erroribus obnoxius: erret tamen; errores eius singulares, meliore fine, & occultis vijs, bonus & prouidens Dominus ad meliora conuertet: & opinioni Superioris longè plus quàm meæ debeo deferre. Quòd si publici magis apertè errare videbitur; iudicare possum, videri errare, fieri posse vt erret; idque vel in re ipsa particulari, vel vniuersè tantùm, & specie actionum non bona: vtùm autem re vera, & an ex ignorantia, inconsiderantia, malitia, incuria, obstinatione animi, particulariter, an vniuersè erret, non iudico: qui tamen probabiliter apparet error, fierique potest vt subsit verus error, cauere possum; & vt caueam, possum illimet, possum alteri eius Superiori, veram, quantum existimo, rerum gestarum seriem, causasque meæ dubitationis aperire. Hanc autem dubitandi moderationem, & ad Superiorem seu mediatum, seu immediatum recurrenti viam tenere quisque potest: quamuis consultus est, vt magna ad interpretandum benignitate utamur, & quidquid ab immediatis fit, rectè fieri arbitremur, nisi si regulæ & ratio aperta reclamauerit. quam in Prepositos benignitatem vt præstare possimus, eandem æqualibus, imò omnibus exhibere consuefcamus. Longè verò satius est, in approbando quàm in improbando esse nimium. qui Superioris actiones censorio notat oculo, numquam pacatus, numquam perfectus euadet: qui sincerè & fauorabiliter eas intruset, gratia discretionis ornabitur, fietque vt in eius animo, neque discretio simplicitatem obedientiæ, nec obedientiæ simplicitas vim discretionis impediatur. Sed hæc de personis.

E modo verò quo Prepositus utitur, cum de rebus agit, fit vt varia obseruare possimus. Interdum enim fieri potest, vt rem vnã aliquam & solam Superior præcipiat sic agendam, vt huic soli id conuenire existimare possim, in alijs verò similibus actionibus aliam aliquam agendi rationem esse meliorem. quam in re nihil de bona Superioris existimatione deteritur: namque nihil indicatur vnde in ceteris idem iudicandum esse censeretur; & frequenter accidit, vt qui agendi modus in particulari vna re cõuenit, is in alijs omninò sit in commodas. Ipsa etiam quibus nobis aliquid indicat verba, sæpè satis docent, nobisne libera sit super ea re opinatio relicta, annon? si enim sic rem agendam explicat, vt declarat certum suum ea de re sensum, quem vult sequamur, manifestum est omnem nobis aliter sentiendi libertatem recidi: si verò propensionem nostram inquirat, ineptum est ac modestum tergiversari, nihil indicare, celare se, & perfectissimam indifferentiam simulare cum deest. si autem aliquid in medium profert consultandi causa, vt varijs super ea sententijs auditis amplectendam vnã seligat, nobis est opinio nostra seruat decoro magna cum libertate dicenda, cū eo tamen vt non nimis sensui nostro adhærescamus, paratque simus eam amplecti partem, quam Superior omnibus auditis sequendam iudicauerit: interim autem etiam si suam, in alterã partem, propensionem indicet, si sic indicat vt rationum

ramen nostrarum vim penitiùs intelligere velle videatur; modeste illas explanare, ac melioribus argumentis confirmare, atque contraria diluere possumus. quamdiu enim sententiam certam neutra in parte quasi defixit, licet se propensum in vnam aliquam ostendat, nihilominus inquiri adhuc, & propensio-riorem eum iudicare debeo, ad meliora & veriora quærenda, quaesita & inuenta sectanda: quare si quid mihi melius & verius occurrit, id à me illi proponi par est proferrique, vt an ita sit, & quanta illa sit veritas inquiri possit: nec enim insolens est, vt quæ verissima putabamus, ea falsitatis plena deprehendantur, contraque ibi veritatem reperisse gaudeamus, vbi nihil nisi merissimam falsitatem esse posse credebamus. quare, humanae infirmitatis consciorum, & prudentum est, numquam aliorum aliter sentientium opinioni & rationibus aures obserare, animumque in oppositum obfirmare; sed omni præiudicio posito, magna puritate & sinceritate contueri, quid cuique sit consequens, quam firmo, quam probabili fundamento nitatur aduersa sententia: vt si rector est, eam sequantur; sin minus, in suscepta meliore perseverent. Igitur in his & pluribus, obseruandus est modus, sed ratione & modo obseruandus.

Verum vt hoc caput aliquando claudamus, nodique initio positi dissoluantur: patet ex dictis, posse inferiorem à Superiore dissentire, quando Superior facit aut iubet, quæ Dei, vel Religionis ac maiorum legibus clarè repugnant.

Præterea opinionum expedire esse consensionem quam maximam, optandam quidem in omnibus, sed quæ in practicis exigatur; in ceteris, à nimia dissensione caueatur. Posse verò iudicari de re quapiam, generatim quidem videri non rectè factam, simulque nominatim vel à iudicando abstineri, vel etiam iudicari rectè ex aliqua occulta ratione potuisse fieri: hanc autem esse facillimam ad Superiores mediatos recurrèdi viam: ad quam tamen prouum esse non expedit. Adhæc nonnullos, in religionis & discretionis virtute vsque ad eò esse perfectos, vt Præpositorum facta & opiniones facillè discernere, & obedientia nulla ex parte læsa diiudicare possint: suæque nihilominus fragilitatis memores, numquam alta sapiant, numquam dissensionem à Præpositis fouere, numquam diuersas partes auctoritate sua excitare, sustentare, roborare, quin potius euellere, infringere, toto conatu impugnare videantur, & re ipsa euellant & repugnent.

C A P V T VII.

De diuersis rationibus quibus Superiores & inferiores mouentur.

Quemadmodum Prepositorum & subditorum diuersa sunt munia, ita curæ, fines, & agendi rationes diuersæ: unde fit ut nemini mirum videri debeat, si in diuersa spectantium, nonnumquam diuersa, imò & contraria iudicia videantur, videantur, inquam, at re vera non sint, si consiliorum radicem, & non solam factorum speciem spectamus: etenim ut diuersa proximè spectant, perq; diuersas vias tendunt, at vnum denique & eundem boni communis finem propositum habent, ita peculiaria quidem singulorum facta & conatus, ad diuersa quædam singularia respectant, sed in vnum denique bonum vtriusque exoptandum in commune conspirant. Estque id non Religioni proprium, sed omni rei publicæ commune, imò verò ex ipsa singulorum natura & maioris boni appetitione ductum: quis enim nescit priuatorum commoda publicis esse postponenda, & membra vel detruncari, vel gladijs ferienda obijci, ut illæsa capitis, vel totius hominis vita perseueret?

Hanc igitur primam, & quæ ceterarum causa sit, officij, & finis proximi varietatē possumus ponere, cum Superioris sit, primò & maximè, ac pro ea, qua præ ceteris poller, auctoritate, bonum commune curare: priuati autem, bonum quidè illud commune diligere, idq; quod sibi peculiariter commissum est promouere, non tamen cõmunis boni in commune, quasi pro potestate, curam gerere, sed suarantum perfectioni, & virtutibus cumulandis insistere, eorum verò, quæ sibi demandata non sunt, cogitationem omnem & sollicitudinem missam facere. Quippe priuatum priuatis, at personam publicam publicis inuigilare, ex officio oportet. Inde videas, non agrè posse contingere, communis ut boni ratio exigat, alicui à Superiore id officium imponi, eam iniungi actionem, id pœnæ genus infligi, quod priuatus, sui solius commodi, vel boni spiritualis ratione permotus, non immeritò detrectaret; sed boni communis ratione perspecta, recusare nullatenus debet. Hoc autem si quando re vera existat, ac simul etiam accadat, ut eiusdem communis boni ratio exigat, ut iussionis causa silentio obueletur; en occasione unde inferior, qui suas priuatas rationes perspectas habet, publicas ignorat, quasi iusto boni sui obtentu remurmuret, vel Superiorem minus benè sibi affectum duriorémve suspicetur. Procliuè admodum est, ut idem contingat, quando Præpositus aliquem vel officio, vel occupatione grata priuat, vel in commune id statuit, quod singulis priuatis minus accidet. Sciunt, qui vel extremis digitis rei communis gubernacula attigerunt, quæ sunt in administratione publica, eiusmodi occationes frequentes; quapropter
etiam.

etiam, bonorum & consideratorum, ac de suis Præpositis benè sentientium subditorum esset, eorum consilia non exquirendo, credere, iustissimis semper illos rationibus ad omnia & singula moueri.

Alia quoque Superioris, alia sunt inferioris virtutes, alia perfectio: diuersasque exercentibus, consiliorum & actionum diuersitas exoritur: parè enim & imperandi, munus & officia, admodum disparia sunt. Superioris est, prudentia, discretio, intrepidus & solers animus, magnanimitas, prouidentia, suorum caritas, & quæcumque illum gratum, ac bono communi promouendo magis aptum reddunt. At inferiori, vt eiusmodi est, satis est, si benè & constanter parere possit, si se regi sinat, si quietè & pacatè degat, si perturbacionibus & vitiis edomandis, virtutibus acquirendis insudet, si sui plus, & obtemperandi sollicitus, ceterorum sit mecurius.

Sic autem Superior publica complectitur, vt singulorū priuata non deserat: communem Religionis disciplinam ita curat, vt illi etiam incumbat subditorū quemus ad perfectionem promouere: ideoque subinde variis exercitationibus eorum virtutem periclitetur & roborat; multa iubet quæ præter morem communem, quæ etiam nonnumquam aliquantum præter vires putentur; quæ duriora & factu difficiliora cum sint, vix tamen ad certum finem vtilem conferre posse videantur in vnuersum, nisi quod perfectioni singulorum id conuenientius est, indeque id redundat vt singulis partibus perfectioribus, tota ipsa res perfectior sit & solidior. hoc autem Superiorum prudentia & discretione perficitur, vigilando, vt infirmiores nõ opprimantur, sed ad excelsiora leni iugo perducantur; fortiores, otio non marcescant, sed sua virtute dignis experimentis ad summa prouehantur. Veterum Anachoretarum historiis hanc in rem plurima permira celebrantur. Hinc autem, id volo ad id quod institui, confici, non esse nobis Superiorum iussa ad æquitatis, aut causæ, aut modi, aut moderacionis vbique & in omnibus eiusdem, normam certam vrgenda, non diiudicandum cur isti conceditur, quod mihi negatur, cur in illo dissimulatur quod in me grauius punitur, quasi si quidquid à nostra ratione dissentit, id à nobis imprudentiæ aut indiscretionis damnari possit; cum & sola mortificandi subditum causa, cognitaque diuersorum vires & mores dispares, meritò possint ad diuersa imperanda inuitare.

Est item Superioris, non quidem diffidere, sed ita moderatè fidere, vt caueat ne nimium virtuti tribuendo, vitio det locum: meminerit se hominum, crebræ vicissitudini obnoxiorum, curam gerere, optandumque esse, vt omnes malitiæ aditus obstruantur, ne quæ possit irrumperè. Hinc efficitur vt multa concedat, neget, vel statuat in futurum, non quasi mali aliquid perpetratum esset, vel perpetrandum crederet, neque tantum ne mala fiant, sed vt ne vnquam malè faciendi potestas detur: vnde accidit, vt, dum non sola præsentia dispicit, sed futura animo præcauere conatur, necesse sit vt multa præter

opi-

opinionem, præterque multorum desideria perficiat: vnde & id consequens est, ut si quando id statuitur, quod durius, molestius, & ab eo quod assueuimus alienius videtur, existimandum nobis sit à Præpositis id fuisse mandatum, vel præcauendi mali in posterum, vel maioris alicuius boni conseruandi aut comparandi causa; ab omniq; longè longius obmurmuratione, vel in deterius interpretatione recedendum.

Id verò vel maximè, quòd in celsiore dignitate, quasi altiore in specula collocati, longè plura vident & audiunt, quàm inferiorū vllus: nam & ad eos vndique multa referuntur, ut ad quos pertineat cuncta rescire, negotiorum etiam crebra tractatio, cum pluribus collocutio, atque cōuersatio liberior, occasiōe præbet multa cognoscendi, ipsi quoq; subditi sincerè magis & inegrè, seq; & sua, imò & quæcumque de alijs norunt, Præpositis aperire maluit: omnino vt sit necesse, quàm plurima illis esse notissima, quæ ceteri prorsus ignorāt, multaq; ab illis fieri, quorū ratio ceteris constare non possit. Iam verò cum huic tam varia cognitioni, experientia, iudicium, officij debitum, diuinæ prouidentiae illustratio & ordinatio accedat, eritne nobis tota gubernandi ratio ad angustias particularis nostri iudicij coartanda, & non potius ampliore quodam & augustiore lumine certò promoueri putanda? Et sanè si multa passim, quibusuis in artibus, ab hominibus industria exquisitiore præditis fieri videmus, quæ populo & imperitis, rationem effectiōis non capientibus, incredibilia, magica, præstigiatarum plena iudicantur; quid mirum si in negotiorum & animarum obscurissima gubernatione, multa benè & saluberrimè à Superioribus constituuntur, ad quorum rationem atque præstantiam intuendam, lippientes animæ nostræ oculos vix possimus aperire? quæ si non à sancti, sed à prauis spiritus fonte, inuidia, æmulatione, vindicta, perturbatione manare iudicamus, præstigias veritati, vitium virtuti affingimus.

Vtinam nos, præteriti saltem agnitiq; errores, cautiōres in posterum reddant: estne aliquis nostrum, vel eousque iudicij sui continens, vel motuum animi tam incurius obseruator, qui se interdum in eam partem, facta Præpositi vel æqualis accepisse non animaduertit, ob quam cogitata non fuisse, certus deinde deprehenderit? & quoties ibi maximè nobis consultum esse, id nobis felicissimè cessisse vidimus, quod primùm agrè ferebamus, quod à Præpositis aduersus nos fieri temerè suspicabamur, dolebamus, & euersum malè cupiebamus? Alicuius eiusmodi euenti in memoriam redeat, & nunc id ipsum nobis accidere cogitemus, si quando de nobis secus quàm vellemus statuitur. At memoriam atque iudicium obruit affectus, perturbatio transuersum rapit, diffidimus, suspicamur, auertimur, iudicamus, omniaq; in deterius interpretando, hinc inde probabilia opinationi nostræ argumenta mendicamus, vultum, gestum, oculos, verba, silentium, siue blanda, siue fuerint seuera, imaginosa nostræ suspicionis argumenta facimus, simulationi blanditas, obfi-

obstinationi seueritatem subseruire fingimus, nostræque nos cogitationes in omnem partem miserè torquent. ô quantæ pacis foret, nil amare, nil odisse, ad humiliora omnia promptum esse, cunctaque à Præpositis vt à diuina prouidentia benignè excipere!

Illud etiam perpendendum nobis est, non ita Præpositos publica curare, vt sua priuata negligant, imò verò diligenter eos adniti debere, vt se mansuetos, benignos, humiles, patientes, non sui iudicij, regularum obseruatores, maioribus obediens, omniq̃ virtute conspicuos reddant. Quod ipsum in iis Religiosis familiis, quæ vnicum sibi supremum caput præficiunt, tanto verius est, quòd ab illo supremo, ceteri omnes Præpositi, duplicem personam gerant, nempe Præpositorum erga subditos, & subditorum ergo Præpositum vnum, vel etiam plures: quapropter suis ipsi se Præpositis tales exhibere, tamq̃ obediens debent, quales sibi suos subditos exoptant: interdumq̃ Præpositi maiores eodem se modo erga hos inferiores gerunt, quo se erga quemcunque subditum gerent. Atque hinc fit, vt quàm diuersas, cur Superiores diuersa sentiant à subditis, causas antè protulimus, totidem & plures afferre possimus, cur Superior quem mediarum diximus, à Superiore immediato dissentiat, facta eius improbet, cæpta euerti & immutari curet, neque tamen propterea sit immediatus improbandus: fieri enim potest, vt ratione circumstantiarum bene tunc in particulari iussum fuerit, quod mutatis illis nunc aliter fieri, vult Superior alius: vel, diuerso fine proposito, nunc aliud quæritur, quàm tunc quærebatur: vel, emerit aliquid quod antea nemo præuiderat: vel, Superioris huius virtutem, humilitatem, obedientiam periclitari vult; vult cedere & compati infirmitati alicuius subditi, & in lege dispensare, qua Superior ille qui minore potestate præditus erat, tenebatur; vult minus aliquod bonum contemnere, vt aliquod aliud multò maius, quod alter ignorabat, possit acquirere; vult, pro potestate, aliquid tentare, quod alteri temerarium fuisset. Denique diuersitatis in iubendo, tot & plures esse, tamq̃ diuersæ causæ possunt, quot hoc ipso & præcedenti capite artigimus: & potest quibus multò plures sibi enumerare, quædam enim magis obuia percurramus, cum ex infinita rerum & temporum varietate, non diuersis tantum, sed eidem homini, eadem de re, consilia mutanda sint.

Neque verò hinc Superiorum & inferiorum consensus harmonicus læditur; quippe non dissentiant qui propter diuersa diuersè sentiunt, diuerso tempore, vnoq̃ aliquid vidente, quod si vidisset alter, idem sentiret: etenim si alio fine, alia veritate, alia circumstantia aliud iubeas, eiusdem est, & sibi maximè consentientis rationis argumentum; quippe mutatis rationibus intermediis, ita consilia mutat, vt constanter eundem finem teneat. hanc igitur considerationem si adhibuerimus, non erit difficile iudicatu, quanto opere vtrorumque consilia in ista varietate consentiant. At, cum etiam Superiores mediati immedia-

torum aliquid improbant; tum vel factum, vel mores, vel modum improbant: si modum, aut mores, ut quòd iracundior, præcipitior, durior, tenaciorue sit visus immediatus, hoc partim referendum est ad ea quæ in Superiore sunt humana, & à quibus cogitandis mentem debet auertere, partim benigna Dei prouidentia nos in id genus hominum incidisse cogitandum est, qui modis durioribus patientiam nostram exercerent, & virtutum exercendarum materiam præberent, facerentque, ut pœnam peccatis debitam hîc exsoluere possemus. At si Superiores mediati, immediatorum factum improbant; vel illud, aperte malum & perniciosum est; quòd si ita est, recurre ad ea quæ de malè illius dicta sunt: vel non est aperte malum, ut quæ fortè imprudentius videntur facta, vel festinantiùs, vel incommodè. quibus in rebus, ita omninò habendum est, benè fecisse inferiores, eatenùs parendo & iudicium subiugando, donec aliter statutum fuerit; Deumque, si in eo perstitum constanter fuisset, in gratiam sanctè obediendum auersurum omnia incommoda fuisse, & in melius conuersurum; nunc autem, post obediendum suorum, quamdiu placuit, probatam, prouidentia paterna vires demonstrare voluisse, immisso qui clarius videret, ea quæ adhuc facta fuerant corrigeret. Iudicio verò subiugando sufficit credere Superiorem, bona & animæ nostræ, vel Dei gloriæ, pro tempore vtilia iubere, nec opus est, imò nec semper, nec omnibus videtur expedire, ut se adigant ad credendum, ea in perpetuum ad eò bona & sancta esse, ut meliora & sanctiora iuberi non possint. Quanquam, si quis diu diligenterque iudicio proprio despoliando incumbat, ad hanc quoque credulitatem peruenire, hâc salua discretionem quouis euentu conseruare poterit Dei ope inconcussam: quod tamen cogitatione faciliùs conici, quàm verbis potest exprimi.

Porro ex his & huiusmodi pluribus quæ vnusquisque non æquè excogitare potest, apparet quàm multiplicia, & propè pugnancia, Superiori sint propolita, quàmque omni ingenij soletia, & intellectus acumine, cum diuina gratia coniunctis vtendum sit, ut bene quod sui muneris est, exsequatur. At verò inferioribus longè paratior & expeditior est viuendi ratio; quippe hæc pauca illis Christi Domini verba sufficiunt, *Qui vos audit, me audit*, hæc est illis tota & sola agendi ratio & cessandi; id quærunt solum, ut digni eius imitatione reperiantur, qui Dominus omnium, & Sapientia Patris æterni cum esset, non venit suam facere voluntatem, valido cordis clamore Patri ingeminans, *Fiat voluntas tua, non sicut ego volo, sed sicut tu: factus tandem obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

*Lib. de prac.
& disp.*

*Lib. de vita
solis.*

Atque hoc est, Religiosam vitam amplectentium, primum maximumque propositum, ut se Dei causa perfectæ obedientia mancipent, eumque; (quod D. Bernardus monet) quem Dei loco habent, tanquam Deum audiant: hæc sit omnis eorum discretio, ut in obediendo nulla sit eis discretio; hæc omnis sapientia, ut in hac parte nulla sit eis sapientia. *Imperfecti cordis, & infirmæ voluntatis indicium est, inquit, statuta seniorum studiosius discutere, habere ad singula quæ iniunguntur, ex-*

gere de quibusque rationem, & male suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit, nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit. S. Basilius vult omnia Superioris præcepta magna alacritate, absque omni iudicio suscipi, non secus quam diuinæ Scripturæ verba, quæ diuinitus inspirata, atque adeo indubitata credimus. Olim Tabennesiortæ, illustres illi cœnobites, ut refert Cassianus, sic vniuersa complere quacunque fuissent præcepta, tanquam à Deo essent calidius edita, sine vlla discussione festinabant, ut nonnunquam etiam impossibilia sibi imperata, ea fide ac deuotione susciperent, ut tota fide ac sine vlla cordis hesitatione, ea perficere ac consummare niterentur, & nec impossibilitatem quidem præcepti, pro senioris reuerentia, metirentur. Sed & omni sanctitatis laude illustis Pinufius apud eundem ita præcipit; Quartum hoc præ omnibus excole, ut stultum te, secundum Apostoli sententiam, facias in hoc mundo, ut sis sapiens; nihil scilicet discernens, nihil diudicans ex his quæ tibi fuerint imperata: sed cum omni simplicitate ac fide, obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Sed ecce quam lenis, & quasi aliud agens, ad obedientiæ cæcæ limites deferor: sequar ergo quod vocor, & breuem quandam de illa dissertationem, ad priora rediturus interferam.

C A P U T VIII.

De obedientia cæca. Quid sit?

Obedientiam cæcam loquuntur & deprædicant passim omnes, pauci enucleatè explicant; qui verò illam comparare cupiunt, eniti maximè debent, ut eius naturam probè perspectam habeant. Attexam igitur quæ in eum finem potissimè conferre pro mea mihi mediocritate videbuntur. Et quidem hac de re nonnulla scripsi cap. 12. tractatiunculæ de Acquirenda virtute, Gallicè typis excusæ: ibique cæcitatæ appellationem non tam virtuti, quam virtutis certo gradu conuenire demonstraui, posseque alias ab obedientia virtutes, ut castitatem, pœnitentiam, zelum animarum, fortitudinem, iustitiam, & alias plures in gradu quodam cæcas nuncupari: huius tamen appositi agnominis rationem, in obedientia frequentiore euidentioremque, atque idè magis esse celebratam.

Est autem obedientia cæca, qua quis Superiori, cæco quodam modo obedit; hoc est, quando, quemadmodum cæcus manu ducentem ita sequitur, ut nihil via usurpare possit oculis, ita inferior iussioni sic obedit, ut neque perfectio, neque imperfectio, neque Superioris humana vlla conditio, neque præcepti ratio aut utilitas, aut bonitas, aut pericula, aut vlla in oppositum obiectio, cogitationi obedientis obuerfentur. Illa est, quæ, ut diuinè docuit S. Benedictus, in

auditu auris obedit: non in concuitu oculi. Auris est quæ audit, auris quæ sequitur, quæ obsequitur; & obsequendo, sensus ceteros imperiosè reger, ut & ipsi totius ad obsequium contendant, & vnum obsequium tanto nisu præsent, ut in id vnum se totos quasi exhauriant. Itaque in eiusmodi obsequente, intellectus iuberi audit, id quæ solum quod iuberi audit intelligit: iudicium silet, neque cur, neque quomodo, neque aliud, quàm quod iuberi audit, iudicat: imaginatio, nihil nisi iussionem solam audit, nihil representat aliud: nihil oculus, nihil manus, nihil pedes, nihil totus homo conatu toto ardet, nisi quod audit exequi: ita ut solius auris dominetur auditus, & ad Præpositi vocem, quasi enthetæ corporis animique vires, mirabili velocitate rapiantur. Olim aquarum vertices arreptum, in præfens exitum, Placidum puerum deuoluebant, cum idem nimo prouidens S. Benedictus ad Maurum; Curte, inquit, & periclitanti Placido succurre. Dixit, & ut Maurus magistri loquentis vocem audiit, Placidum auribus, Placidum oculis, Placidum tota cogitatione vnum ferebat, periculorum vndarumque oblitus, vitæ prodigus, obedientiæ tenax, concitus excurrit, volat potiùs, sanctas obedientiæ alas affinxit, inscius calcatur aquas, perque liquidas vorticosi lacus vndas quasi per solidatam aream, victrice tutus obedientiæ, & Præpositi voce pondus corpori detrahente progressus, apprehensum effert. Placidum, pari que securitate & celeritate emensum per vndas iter remeatur, nec, nisi post obedientiæ peractæ exitum, aquas se calcate cognoscit: totos in auribus oculos, pedes totos, totum hominem eousque esse diceres, dum obedientiæ iussu compleret. Quid est cæcum esse si id non est: nec enim vel oculus corporis, aquarum rapiditatem, & insidiosam profunditatem; vel animi cogitatio, periculi magnitudinem videbat; hoc videbat, hoc volebat, hoc contendeat vnum, obedire ut imperantis voci posset.

Hoc obedientiæ cæcæ exemplum, largius, planeque ad historiciæ veritatis normam descripti, ut ex eo quod omnium propemodum ore celebratur, de natura ceterorum coniecturam capere possimus: in reliquis enim, si ea introsperimus, eandem inesse vim cognoscemus. Quippe cum tanta alacritate, constantique perseverantia, sic cum stipitem, aqua procul deportata, plures annos irrigatum: cum in amolendo, quod moueri nequibat, saxo tam seridè desudatum: cum ad fruges demetendas à febre periclitantibus laboratum: cum, in extrema olei penuria, vnicum qui necessariis vsibus supererat lecythum, in asperas cautes deiectum: cum in ardentem clibanum alacritate & festinatione magna, velut si in rosas prouolatum: cum eiusmodi multa Superiore iubente secundis ausibus perfecta legimus, hoc semper & certò comperimus, subditos id spectasse, id vidisse solum quod audiebant, ad cetera cæcos, tardos, sine sensu, sine cogitatione existisse; commodumne an incommodum, securitatis an periculi plenum esset, possèntne an non posset, quod iubebantur fieri, nunquam animaduertisse: sed toto animi corporisque nisu contendisse, ut electione &

proposito iam olim à se suscepto, & Religiosa professione firmato, Superioris vox illis esset instar vehementissimi cuiusdam impetus, vi magna omnem obicem dissipantis; vnde efficeretur, vt quando planè nihil esset quod exaduertum insurgeret, consentientibus omnibus animi corporisq̃ue viribus, id omne quod in ipsis esset, ad Superioris vocem serio, simpliciter & perfectè componerent, id vellent, id cuperent, id exquirent vnicum.

Sed hinc audire mihi videor remurmurantes quosdam, & obiectantes; Si in eo quod dixisti ista cæcitas est sita, vt pericula, incommoda, frustrationes, quæ verè insunt non videat, quid est quodd vsque aded istud obedientiæ genus Deo gratum esse credamus? annon ipse rationale obsequium nostrum deposcit, nec videtur laude dignum esse, si quasi lymphati, sine sensu, sine iudicio, sine prouidentia, præcipites ad agendum feramur? nonne longè laudabilius vt palpebræ præcedant gressus, vt scias, & quid agas iudices? quis credat laudis esse vel meriti, cæcum esse, id est, non videre, non iudicare? Plumbeum & molle telum istud est, nulloq̃ue negotio obiectationem diluemus, rei que penitiùs declaranda ansam nobis dabit.

Sic enim habendum est, obedientiæ cæcitatem non ex ingenij stupiditate, non ex stoliditate iudicij, vel naturæ tarditate deriuari, non inde fieri quodd vel solertia, vel prudentia obedienti desit; superest frequenter, & in rebus peruidendis longissimè ceteros antecellunt, vt in S. Mauro, S. Ioanne Eremita, acerrimo, eodemq̃ue obedientissimo iudicio præditis, abundè enituit. Alio igitur & digniore ex fonte oritur obedientiæ cæcitas, ex eo nempe quodd vbi aliquis perfectissimæ obedientiæ amore summo, & flagrantissimo desiderio ardet; cum in omni vita, sed maximè spirituali, nouerit esse longè tutius alieno, quàm suo iudicio regi; cum eam imperfectissimam esse obedientiam intellexerit, quæ mandati rationes & modum quarit; cum didicerit, non obedientis, sed imperantis esse prudentiam; nec obedientiam, præcepti utilitate aut ratione, sed mandantis auctoritate niti; cum à Deo mercedem obsequij diligenter & alacriter præstiti expectet; cum de se suoq̃ue iudicio diffusus, sua omnia diuinæ prouidentia, quæ illum Superiore administro regit commiserit, securus nihil euenturum quod non ad maiorem Dei, æternamq̃ue suam gloriam cooperaturum sit; cum denique Præpositi vocem vt perpetuam atque clarissimam diuinæ voluntatis interpretem, atque aded, vt pressius loquar, veluti verè Dei vocem, omni reuerentia & approbatione, cum sincera animi deuotione excipiat: quid mirum, si quancuncque vox illa insonuerit, & quocuncque vocauerit, eius auditu vir obediens, absque villo repugnantis animi sensu, continuo velocissimè se totum ed conferat? estne aliquid rationi magis consentaneum, quàm vt Deo, cui obedire summa ratio est, obediatur, ratione non aliundè quæsitâ, quàm vt obediatur? estne quodd absurdius dici vel existimari possit, quàm vt asseratur, iubente Deo, rationes iussionis esse quærendas? Prophyriana

*Lib. de prac.
& disp.*

** Innotescat, hoc est, innotescere faciat.*

fuit ista blasphemia, Apostolos temeritatis accusantis, quod vocentem Deum statim relictis omnibus essent secuti. usque adeo humana sapientia deserta, quoties præter Deum aliquid sapere se putat. hæc ergo est summa sapientissimaque ratio, si certo & destinato obediendi proposito, sciamus, absque violationum percontatione parendum, ubicumque Præpositi imperantis nota vult audita fuerit. *Quidquid enim vice Dei præcipit homo, ut bene S. Bernardus, hanc se- cùs omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest, virum per se, an per suos ministros, siue angelos, siue homines, hominibus innotescat suum placitum Dei.* Hinc autem clarissimè patet, quantæ dignitatis & meriti sit hic obedientie gradus, quàm nihil præcipitet, quàm diuina rationem humanam superaret: etenim qui sic obedit, securo quodam sui ipsius neglectu se totum in Deum reclinat, rationi suæ & voluntati non renunciat solum, sed etiam Deo suo tam perfectè eam mancipio tradit, ut per quemcunque vices Dei certa auctoritate gerentem, diuina fuerit illi voluntas declarata, seu (quod idem esse creditur) fuerit illi aliquid imperatum; illicò in eam partem se totum spectat, nullo vel tenui motu in aduersum insurgente, omnibusque animi corporisque viribus, sensibus, affectibus, in vnum illud efficiendum sanctè & integrè conspirantibus. Quod potest holocaustum esse perfectius? quæ sui ipsius integrior esse victoriosa? ita enim sensuum & vitium omnium obediens loquitur victorias vnde quaque laudatissimas.

C A P V T IX.

Cur iste obedientiæ gradus cæcus nuncupetur.

Sed locus videtur exigere ut huius nuncupationis rationem proferamus: potest enim non immeritò mirari nonnemo, quid sit cur ea obedientia dicatur cæca, quæ in obediendo, id quod debet, & quo optimo modo debet, tam clare dedit. sed is animaduertat oportet, id iure meritissimo factum, & quantum mihi nunc occurrit, quadruplici de causa.

Quarum vna sit, quod alicuius virtutis gradus, ex potiore eius laude & commendatione nomen desumere solet & debet: potior verò laus & commendatio, ab eo quod difficillimum, & in eo virtutis gradu præstantissimam est, sumitur: atqui in obedientia notissimum & facillimum est, agnoscere subiiciendam esse Deo voluntatem, & Superiori parendum; quare vulgare illud est, ex quo nulla singularis laus oriatur, & vnde non debuit obedientia Videns appellari. ac vicariis Dei tanta suam voluntatem, iudicium, sensus omnes alacritate subiungere, ut ad illorum vocem protinus omnia conticescant, nihilque contra sentiendo, nihil contra videndo, in obsequium cuncta conspirent; potissima laudis illud est, arduum, perfectum, virorum in virtute exercitissimorum, ac Dei gratia illustrium. quare, cum huius laudis ratio ex eo sumatur, quod eorum quæ con-

tra obedientiam faciunt, nulla videantur, meritò factum vt hinc Cæca nomine-
tur. Qua eadem ratione, castitatem eam quæ motibus inhonestis careat, dici
Angelicam videas; est enim istiusmodi castitatis summa laus in eo sita, quòd mo-
tibus inhonestis instar angelorum caret.

Altera huius agnominis causa, & quæ ex eadem radice exoritur, tradi potest,
quòd par sit virtutem ab eo nominari, quòd in ipsa, vel certo eius gradu rarius
est: solent autem plerique omnes, quamuis ad mandata perficienda sint prom-
tiores, iudiciorum tamen suorum esse retinentes, viderique velle prouidentes;
vnde quando obedientia omne iudicium, omnem prouidentiam abiicit, quòd
est intellectus oculum occæcare, meritò ex rariore hac perfectione cæcitas,
potius quàm ex comuni quòd parendum sit agnitione, Cæca nuncupatur.

Tertiò & aptissimè; Si quæ imposititia nomina voluntate & vsu hominum
rebus induntur, solent eæ nuncupationes in eam partem vergere & refetri,
quæ in rebus nuncupandis magis elucet, primaque specie oculos ac mentem
ferit: quare si quando inter obediendum, id quòd præter rationem communem
est, promptè & alacriter, conatuque magno subitur, vt S. Maurus, S. Ioannes
eremita fecere, idque aliquis intuetur, menti protinùs occurrit, Illene cæcus est
qui præcipiti cursu ad vndas euolat? ille sine iudicio, qui tam diu aridum stipi-
tem incaustum rigat? ergo, illa cæcitas obiicitur, illa notatur prima, & quando
bene cedere agnoscitur, primæ illi acclamatur, primas laudes accipit; vnde id
etiam consequitur, vt si ab aliorum obedientia eam distinguere velimus, id epi-
theton seu appositum illi seligamus, quòd ea notet quæ sensum perculerunt,
ideoque obedientiam eam Cæcam dicimus.

Quartò denique prouidentissimè, & ad nos erudiendos sapientissimè, id
nomen à maioribus nostris præcellenti obedientiæ gradui impositum est, vt ex
ipsa nominis indicatione moneamur, qua via ad eius adeptionem sit nitendum,
obedientiamque non ex intuitu, non ex iudicio (quæ sunt magis nostra) sed ex
auditu (qui magis aliunde & à foris mouet) exciendam esse, neque nobis vel
subiecta ad visum pericula, vel rationum momenta, vel personarum discrimina,
curioso mentis oculo contuenda, non rationibus ad imperata exquirendis as-
suescendum, sed auditui in cetera imperium tradendum esse, sic vt sola Præposi-
torum vox, oculorum nobis, rationis & virium vicem expleat, nihil vt videntes
audiamus, audiendo obediamus, obediendo perfecti euadamus.

Hoc igitur statum sit & fixum, auditum, esse in obedientia ducem, eius im-
perio ita potenter omnia subici, vt excæcato ad Superioris vocem ipso etiam
intellectu & iudicio, nulla vel in animo, vel in corpore, aliò quàm ad imperata
intuendi tendendive facultas esse videatur.

Nulla inquam aliò intuendi facultas: nam vt eòdem cæcus obediens con-
tendat, acutissimè præcepti partes omnes videt, & in omnibus, quæ pro Supe-
rioris iussione perfectius adimplenda faciunt, ocularissimus est. Primo enim,
subtri-

subtilissimè ac celerrimè præsentit, quæcunq; etiam leuissimè obedientiæ splen-
dorem infuscarent, & si fortè ex arduitate rei, vel aliorum insurrectione, vel
humana infirmitate aliquid tentationis insurrexerit, illico in primo ortu scin-
tillam opprimat, nec vilius vel blanditiis, vel terrore, vel astu, suæ perigli obo-
dientiæ subrepi patitur: non sic vigilem, non sic videntem fabulantur Argum-
vnt hic ad Superiorem, & obedientiam tuendam vigilat. Præterea oculati sumus
quoque est ad vias & rationes reperiendas, quibus obiectas moles, & quasi op-
positos aggeres, vnâ secum rapere, & ad iussa complenda possit ad extremum
vsque pertendere. Illud etiam in eorum qui perfectiores sunt, obedientia cæca
mirabile reperitur, quod summa simplicitate verbis adhærescunt, verba ve-
lata sunt exsequuntur: & nihilominus magna subtilitate verissimè Præposito-
rum sensa percipiunt, non aliena, non peregrina, non ab vsu vel ratione remota
tiora sectantur, vires & conatus suos non aliter quàm pro Superioris volun-
te dispensant, dispensant, inquam, non profundunt, sicque non profundunt, vt
non propterea tardi timidiq; hæreant, sed quæ quibus præferenda sint cog-
nitum habeant. Isti sunt qui verè & perfectè quid sibi velit cum sic loquitur
S. Bernardus, intelligunt: *Illum optimum dixerim obedientiæ gradum; cum eo animo
iniunctum opus recipitur, quo & præcipitur. Cum enim ex voluntate iubentis pendet iuratio
exsequenti, sit vt nec maius minoribus, nec minus maioribus, confusè (vt affollet) ad
implendum quod iniungitur, subiecti studium impendatur: sed moderante animo quæque
pro sua dignitate imperia, modum sciat verobiq; seruare, tam in obseruando videlicet
iussa, quam in cauendo prohibita: non quoddam vel minimum horum quæ iubentur, contem-
nendum putet, etsi tamen minimum quod minimum est reputet: sed minimum est ex com-
paratione maiorum. Nouit verus humilisq; obediens, & minima non contemnere, &
maximè curare quæ maxima sunt, intimo quodam deuoti sinceriq; animi sapore discer-
nens, quibus de mandatis, ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat cum Propheta,
Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Ita ille: atque hæc de oculis, de quæ mo-
do cæcitatibus, ad obedientiam cæcam dicta sufficiant.*

*L. de Pra-
cepto. & disp.*

C A P V T X.

Quomodo ad eam obedientiæ perfectionem peruenire possimus.

TRia mihi supersunt, quæ ad pleniorē huius rei intellectu subtexam: pri-
mum, & quod maximi momenti sit, est qua via ad tantū obedientiæ sanctæ
apicem contendendo pertingere possimus: potest autem ad hoc quæsitum ma-
gna eorum (quæ hîc non transcribimus) pars transferri, quæ libello de Acqui-
renda virtute, generatim quidem, sed ad hanc tamen satis accommodatè scripsi-
mus. Certum verò est duobus hanc virtutem modis acquiri posse. Primo, sub-
to,

to, & ab ipso derelicta: vita communis exordio, cum obedientia perfecte desiderio laucia mens, diuinæque gratiæ largitate firmata, munifico isto dono exornatur: quorū è numero S. Paulus Simplex, sancti item illi Maurus & Ioannes recentiori possunt: hos tamen, nihil cogit; cum exercitatione & oratione cōperuenisse, credetiam possint. Et sane prolixior est hic modus alter, qui exercitatione & longa ad obedientiam assuefactione constat.

Si tamen quisquam ad sublimem illam obedientiæ verticem exercitatione & vsu aspirat, hoc ei animaduertendum est: conatu quidem quanto potest, nitendum ei esse, vt dubitationibus leuioribus, passim aduersus ea quæ mandantur occurrentibus, aures ne præbeat, easque si potest in semine suffocet, & consuetudinem mandatis indubitandi, tanquam pestilentissimum virus exhorreat: quando tamen Præposito aliquid imperante, vltro in eaiussione vel sensus, vel ratio, non vanam peccati speciem ostentat, peccandique timor animum subditi sollicitat; aded certum est peccatum esse fugiendum, peccatumque nulla cuiusquam auctoritate legitime imperari posse, vt eiusmodi probabilis dubitatio, non debeat, vel absurda, vel oculo cæco præteriri, sed aut ab ipso subdito veriore ratione refutanda est, aut Præposito exponenda, cuiusque iudicio standum est; donec verò alterutrum horum fiat, ab eius aggressione cessandum: quomodo enim is innoxius esse censebitur, qui id audet perficere, quod peccati ab irrefutata conscientia arguitur? Quod vt in ipso eodem exemplo iam allato laudatoque videamus, profectò si S. Mauri animus vndarum rapiditate percussus, in dubium reuocasset, an eiusmodi in fluenta excursio non esset temeraria, annon esset tentare Deum, vitamque suam in apertum discrimen conicere, cum præsertim eiusdem obedientiæ clypeo protegendus Placidus à vorticibus raptaretur? quamdiu eiusmodi dubitatio eius animum nulla rectiore ratione occurrente pulsasset, temerarium, & non sine peccato fuisset, facti ambiguum in aquas excurrere: quod ipsum tamen prudentissimæ & maximæ virtutis fuit, quando solius obedientiæ voce concitatus, nihil nisi solam, merissimam & simplicissimam obediendi voluntatem ad opus contulit. Fuit autem id à nobis hîc referendum, ne quisquam dum cæco modo se putat obedire, in laqueum peccati incidat, & quid sibi velit obedientia cæca non intelligat: non enim illa postulat, vt quamuis, quæ aduersus iussa occurrerit, rationem, aut dubitationem, sine ratione repellamus; sed efficit vt præ ardore obediendi, nulla sit in homine dubitatio, quæ contra Superioris vocē insurgat; quod si quæ insurrexerit, id verò certum signum est, nondū nos ad illum cæcitatæ apicem conscendisse, quare non sunt nobis temere tentanda, quæ vitium nostrarū modum excedant, sed dubitatio per certius aliquod argumentū amouenda est, interimque pro nostra tenuitate contendendū, vt paulatim ad altiora progredi, & perfectiora possimus adipisci. Sin autem constanter & magno animo nitimur, aderit is qui bona volentibus & conātibus, optatos auctus adspirare solet Deus.

Ex his verò id etiam consequens est, vt obedientia cæca non possit compa-

rari cæcis actibus, qui de industria prævideantur, & ad eam consequendam a feclatè cõquirantur, in rebus à ratione alienis, naturæ vim egredientibus, atque cum periculo mali coniunctis: imò verò eiusmodi conatu non tantù nihil promouetur, quin potius ab ea longiùs absceditur. Cuius vti usq; ratio est, quòd nimè sit in potestate hominis conando efficere, vt ne eius animum hæc aut illa cogitatio incurset, (multa quippe improuisè & importunè se obtudunt) vnde neque potest efficere vt ne aliqua peculiari obiectio mentem subeat, si potissimè conditio naturæ in eam partè sollicitat: quòd si quasi multa cautione, illam à se arcere velit, ex quadam naturæ proteruita, & faciliore ad timorem adhaerentia fiet, vt quem clauum inepto nisu conatur euellere, magis infigat. Sistrum, & allato semel exemplo vtamur, si B. Maurus ita animum ipse suum compararet, vt sibi diceret, Nolo de periculo aquarum cogitare, nolo trepidare; procul dubio, & cogitasset intentiùs, & trepidasset formidolosiùs, & pauore superaret tardior in futurù existisset. Nec dissimiliter, si quos, quasi perterritos, Nuntios, Pater spiritualis inuiter, adesse rogum, vrentes prunas minari, sitne qui obedientiæ ad vocem, manum sit paratus iniicere: rem facit, opinione mea, pacem vilem, imò ab hoc obedientiæ gradu retardantè: eos enim vel ad temeritatem, qua se in aperta præuisaque pericula coniciant, vel (si ne quidem tentare audent) ad detrectanda Præpositorù imperia & diuidicanda consuefacit: sin autem audaculus quis tentauerit, & (quod imprudentè, propriaq; vires excedentem ausum comitari solet) malè multatus abiuerit, tum verò in perpetuum ad omnem iussionem segnis, restitans, & malè promptus reddetur, multumque apud spectatorum animos, de sacrosancta obedientiæ veneratione decedet.

Sunt ergo ij errores notandi, ne imperitè ac intempestiuè properata virtutum affectatione ruamus in vitium, sed meliora ac certiora prudenti progressionè secltemur. Quod vt præstemus animaduertendum est: Virtutes quidem virtutum earundem actibus comparari, vt obedientiam obedientiæ, patientiam patientiæ, fortitudinem fortitudinis actibus; sunt enim dispositiones, quæ ad eiusdem virtutis patrimonium spectant, ideoque eam animo paulatim firmius inculcunt. At virtutis alicuius gradus excellior, quem nondum comparaueris, non solet (licet interdum ex occasione, vel animi magnitudine, vel seclctiore Dei gratia id fieri possit) non solet, inquam, acquiri, nisi alterius in eadem virtute gradus inferioris, & paulatim assurgentis adminiculo: quod commo dissimè fit, quando in eo in quo consistis gradu hærens, faciliorem aliquam superioris gradus rationem aduocas, & quantum potes inde mutuatis, vt iam mot in hac ipsa virtute ostendo. Quare cum iam antè docuerim, obedientiam cæcam, non distinctam aliquam virtutem, sed virtutis præcellentè vel actum, vel gradum appellari; consequens est, vt obedientiæ cæcæ gradus, non quidem eiusdem gradus actibus, sed alterius quàm maximè vicini & assimilis comparatur: confirmatur quidem pluribus eiusdem gradus actibus, & perficitur, at comparatur, ad eumque peruenitur, diuersis: quod ipsum ei est cum heroicis aliarum

aliam virtutum gradibus commune, quoties ad eos paulatim tendendo, & non improuisa diuinæ gratiæ largitate conscenditur. Sed hoc totum quomodo re ipsa præstare possimus, iam erit dicendum.

Virtutum igitur gradus non sunt interrupti, sed continui, coherentes, ac vitali ad maiora augetur vi præditi: quare si in vno gradu non otiosè consistis, ipse te paulatim sustollit ad alium, & sensim in excelsiore gradu proximo collocat. Si ergo ad obedientiæ cæcæ præstantiam adspiras, & nullum opportunitatem eam consequendi modum noris, aduerte quod consulo:

Primum omnium conare, vt animum tuum, quanta maxima potueris Præpositi reuerentia compleas, te totum illa possideat, eius vocem, vt à Vicario Dei, tuoque (si ita loqui fas sit) in terris Deo, summo mentis gaudio, in summa summissione, expeditissima alacritate suscipias, nihil in iussis diiudices, rationes præcepti ne vnquam exquiras, si quæpiam se contra iussa obtrudit offensio, vel rationis reclamatio, elide si potes in primo sui ortu.

Animum deinde aduertito; ad obedientiam cæcæ proximè accedere eam, quæ celer est, & simplex: quippe celeritatis conditio, moram in parendo non patiens, spatium ciendis dubitationibus præcludit; simplicitas vero omnem contrarium motum arcer, & vt iubenti potius faueatur facit. quare si celeritatem & simplicitatem seruaueis, teque totum Superiori, quasi summæ, & in infinitum reuerendæ Maiestati diuinæ, ita sum miseris, vt eius vocem, quasi tonantis Dei, pauore amico excipias; dubio procul, obedientiæ cæcæ perfectionem, diuina opitulante gratia, hac certa via consequeris.

Sed & ad eam rem vehementer facit, si quod iam pridem mihi persuasi verum est, nec video cur in dubium reuocari debeat; à vitis Religiosis longè sapius quam vulgus putet, obedientiam cæcæ exerceri. Cùm enim in eo sita sit obedientiæ cæcitas, vt ne iudicium nostrum, qui est quidam oculus animæ, sequamur, neque aliud in Præpositorum iussione videamus, quam hoc vnum, parendum esse, optimumque esse parere: nequaquam fingendum nobis est, tum solum obedientiæ cæcæ exercitationem esse, cùm absona, & à communi vsu remota, atque iudicio passim recepto aduersantia iubentur; sed etiam tum quando multa animaduersione & assuetudine cōdocefacimus animum, vt etiam in rebus maximè rationi consentaneis, non quia rationi iudicioque nostro consentiunt, sed, omni alia sublata causa, ideo tantum quia iussæ sunt, obediat, præceptique tota ratio & vnica cogitetur, quod præceptum est. Quamuis autem notationi & iudicio humano talis obedientiæ excellentia non pateat, at clarissimè diuinò patefit: nec dubito quin permultos, mundo quidem ignotos, sed Sanctis & æternitati notissimos, Mauros & Ioannes eiusmodi, cælestis gloria coronet: nobis vt sit omni contentione nitendum, vt huius ad immortalitatem propositæ palmæ viridantes corollas, ne vancors nostra segnitates eripiat.

Iam verò vtramque istam perfectæ huius obedientiæ acquirendæ viam demonstrasse S. Maurus sanctusque Ioannes videntur: hunc enim, ad ea quæ pro-

ximè dixi, propiùs accedere, illum videmus sese aliùs effere, & celeriori vola-
 proripere: etenim id vnde cœptum est, nempe vnica quotidiana sicci stipiti-
 rigatio, non vsque ad eò obedientiam profitenti ardua videtur, quando signatè
 præcepta est; sed tanta quanta fuit perseverantia, tanta in toties repetito labo-
 re, nihil diiudicantis animi æquitas, tanto tempore, in tot interruptis actibus,
 in abrupta tranquillitas, iudicijque demissio, permira fuit, & quæ mereretur
 fortè ab ipsis primordiis ad summam obedientiæ perfectione non fuisset pro-
 uectus) eà denique diuino Spiritu largiente donari. At in S. Mauri facinore sub-
 ro, cum id esset singulare, & non nisi solius Dei opt. max. ope illud perpetrare,
 periculoque liberari potuerit, necesse fuit vt vel hic vnicus actus mirum quan-
 tum fiduciam in Deum auxerit, animos addiderit, ac in obedientiæ amore, re-
 tela, veneratione, perfectione firmauerit. Faxit diuina bonitas, vt tam sancto-
 rum exemplorum post tot sæcula vigente commemoratione permotus; eius quod
 arripuimus, quodque totum obedientia nititur, Instituti numeros omnes, per-
 fectè obediendo expleamus.

C A P V T XI.

De obedientia ad nutum.

IAM diuina ope quidquid operosius & spinosius erat percurremus, planiori
 erunt & faciliora, pauca quæ sequentur. Quorum primū sit, an etiam quan-
 do ad Præpositorum nutum obeditur, possit exhiberi cæca obedientia: simò ve-
 rò an omnino aliqua sit eiusmodi vera obedientia, cum nulla fuerit iustus, sed
 vt summum sit in illius præoccupatio.

At non est renouandum in dubium, quin ibi obedientia exerceatur, vbi Su-
 perioris voluntatem aut desiderium, certo aliquo argumento deprehendimus,
 aut deprehendere nos meritò credimus; vnde fiat vt ex desiderio conformemur,
 ac voluntatè nostram Præpositorum voluntati subdendi, conemur id prædicare,
 quod à nobis desiderari putamus. Etenim hoc nobis in virtutibus animæ adre-
 tendum, & ad crebriore earum vsurpationem certò habendum, non spectatum
 eis, nec eas ex eo existimari quod verè in re externa, effectu, obiectione oculis
 patente reperitur, sed multò magis ac penè solum ex facientis animo: hunc enim
 videt, huius destinata muneratur Deus. Eleemosynæ misericordiã quam largitur
 ficto pauperi, in quo verã miseria deest, & cuius nulla miseria subleuatur, non
 minòre quàm si in verum pauperem collata esset, æternæ gloriæ pondere com-
 pensabit: quippe affectus est qui spectatur potius quàm effectus. Quinetiam
 nemo non fatebitur, præstantius esse misericordiæ genus, quando instante ali-
 cui indigentiam præuidens, occurris, & ne in eam incidat, præcurrente liberati-
 tate impedis, quàm si in eam incurere patereris, & iam pressum subleuares: ce-
 nim qui citò dat, bis dat, quanto magis qui tam alacriter præuenit, dignissime
 subuenit? Atqui quando præuenis, nulla est re ipsa cui succurras indigentia, sed

ris est quoddam illam vel animo tibi representas, vel futuram prouides: ita enim humanius comparati sumus, ut quæ menti, non secus ac si essent, penitus impressimus, vel quæ mox futura credimus, eosdem in nobis motus animorum, ad spem, ad lætitiã, ad terrorem, ad virtutes & vitia excitent, quos excitarent res ipsæ, si præsentem eas videremus. Haud secus in hac prauolatrice mandatorum obedientia contingit: nam & affectus ad obediendum fertur, quasi si Præpositi iussus irgeret, & quemadmodum Maiorum obsecrationem in mandatis deputamus, ita Præpositi desiderium, instar præcepti ducit, creditque morosa tarditatis fore, si ubi videt vel facti desiderium, vel imperij voluntatem, ad verba potius quam ad animum respectet. Perfecta enim obedientia legem nescit, terminis non artatur (ut in simili loquitur S. Bernard.) neque contenta iussionis angustiis, largiore voluntate fertur in latitudinem caritatis, & ad omnem Superioris nutum spontanea, vigore liberalis alacritate animi, modum non considerans, in infinitam libertatem excurrit. Hæc est illa de qua S. Petrus, *Castificantes*, inquit, *corda vestra in obedientia caritatis*, pulchre illam per hoc sequestrans ab inerti illa & seruili obedientia, caritati non prompta, sed soli obnoxia necessitati. Videtne quanti faciat eum qui ad nutum obedit: alium vero, ut inertem, ut seruilem, ut tardum & inofficium cõtemnat? quales profecto si plures in subditis existerint, nonne necesse fuerit ut tarda, graua, modesta, impedita sint omnia?

Lib. de prag.
& disp.

1. epist. c. 7.

Istam ergo ut gratiorem, meliorem, accommodatioremque sectemur, & ut satis probatum relinquamus, eam veram, maximeque laudabilem obedientiam esse quæ ad nutum Præpositi præstatur, vel qua eius voluntatem velut normam nobis proponendo id agimus, quod esse ex eius desiderio credimus. Iam autem, si verè hæc est obedientia, videtur etiam consequens esse, ut possit esse cæca, eoque maxime quoddam cæcam eam omnem dicimus, quæ nihil nisi parendi studium respicit. Fateor tamen non satis proprie videri dici posse cæcam, nisi admodum euidenter de Præpositorum voluntate constet; ac præterea in rebus arduis, periculo obnoxia, & à communi iudicio remotis, longè certioribus opus esse argumentis, ut credas velle Præpositum ita fieri: quare non tantum ab imprudenti coniectatione cauendum est, sed plerumque in rebus grauioris momenti, expedit de eius voluntate reddi certiore, eamque modeste exquirere.

CAPVT XII.

Non Religiosorum obedientia, quid à Religiosa discrepet.

ET hoc denique ceteris attemamus, Quid inter obedientiam Religiosi & sæcularis intersit? quæcumque etenim dicta sunt adhuc, seu de Præpositorum reuerentia & auctoritate, seu de iussis eorum, seu de diuinæ prouidentie vigilantia, seu de subditis, & iudicij subdendiratione, illa eadem de sæcularibus, deque eorum gubernandi imperandique ratione dici possunt.

Yyyy 3

Verum.

Verumtamen inter utramque obedientiam plurimum interest, idque maxime, ex personarum conditione originem ducit. Sic igitur se res habet, obedientia quæ à secularibus (ut vocant) præstatur, minus est ultronea, minusque voluntaria, certarum quibus teneatur rerum angustiis conclusa, fermeque mercenaria, ut quæ ad lucra, commoda, honores, & fumos vitæ huius adspicit: unde cum ad alium finem, & ad alia omnia referatur, nil mirum si se in plurimum discrepantem exhibeat, nempe oculatam, astutam, sui amantem, ad oculum & in speciem placentem, obmurmuratricem, impatientem iugi, afferendæ libertatis occasionibus incubantem, & alijs multis imperfectioibus obnoxiam.

Præterea longè alio, quàm Religiosa, fonte dimanat: est enim vel ex naturali debito, ut patri subditur filius; vel ex auctoritate in commune instituta, ut Regi & magistratui priuatus, vel ex conditione fortunæ, ut multi pauperes ditionibus; vel ex quapiam infirmitate, ut magistro discipulus, ægrotus medico; vel ex mercedis pacto, ut imperatori miles, domino famulus. Iunt & alia plures: nam & in pœnâ delicti, & belli iure, & alijs casibus quempiam alteri subiugari contingit. quæ causæ omnes non planè ultro & sponte, nec voluntaria electione, nec ex virtute seliguntur, sed aliunde inuitis obtingunt, vel imponuntur. Itaque hæc obedientia non est virtutis & obsequij diuini causâ arcessita, neque voto firmata, neque Religionis honore insignita, neque peculiaribus legibus comprehensa, neque certo statui seu vitæ generi accommodata, neque villo singulari modo & eximio, sed sola communi ratione ab Ecclesia approbata: quare cum infirma radice nitatur, cum paucioribus auxilijs fulciatur, prauis exemplis, multis tentationibus, immortificatis cupiditatibus, grauius frequenterque quantatur, nihil mirum si & imperfecta sit admodum, & fauentiore diuinæ providentiæ propugnatione non fruatur. Si qui tamen aliquando ea virtutis firmitate reperiretur, qui iuxta S. Apostoli consilium, dominis carnalibus, ut Deo, non ad oculum, sed ex animo, & amore veræ virtutis inseruiret, is procul dubio, exceptis iis quæ Religionis propria sunt, cetera huius virtutis insignia consequi posset, cæco modo & ad nutum obsequi, in omnibus ex diuina providentia pendere, non suo, sed Superioris iudicio in imperatis fidere, pace magna, & tranquillitate animi perfui. Quis est hic? & laudabimus eum. fecit enim mirabilia in vita sua, potuit transgredi, & non est transgressus, in medio laqueorum liber ambulauit, & in propriæ voluntatis regno eam debellauit. Verumtamen, ut non gloriatur accinctus, æquè ut discinctus, sed qui gloriatur in Domino gloriatur; reperias aliquando tanta mentis innocentia, & affectus puritate idoneos aliquos, quibus aliquid bonæ pietatis accesserit, ita dominis propter Deum inseruientes, ut Religioso sanè timendum sit, ne, si quando cum eis in die iudicij compositus fuerit, multo rubore pudeat, & præ illis vix in aliquo numero reponatur.

Sed & hinc non otiosè, verbo monebo Confessarios, ut in Sparta sibi commissa sint fideles: sæpè quippe & facillè, pauperes, famulos, egestate seruientes, doctæ

docere possunt, vt quam ipsis necessitas personam imposuit, extorret spontanea voluntas: cum que tum isto, tum ignorantie pondere oppressi, ad Religioſe vitæ institutum adſpirare non possint, ad eius perfectionem adſpirent. Nec deerunt commodæ ad ista persuadenda rationes, dummodo Confessarij id serid velint & contentur. Et nunquid pro magno habere debent, tantorum æternæ gloriæ incrementorum administratos esse? Sed aliis ista relinquamus, ad institutum reuertamur.

C A P V T XIII.

*Expediatne imperiorum æquitatem quaesitis argumentis,
vt illi assentias, comprobare.*

Huius quaestionis occasionem ex eo sumimus, quod B. Pater Ignatius apud Ribad. lib. 5. c. 4 id commendare sit visus; quod tamen obedientiam sinceram professis periculi plenum vt plurimum, & perfectionem huius virtutis inficere videtur. Quare, vir in Religiosa dignoscenda & describenda perfectione magnus Basilius, consuetudinem de iis quæ præcipiuntur inquirendi, asserit esse excutiendi imperij meditationem ac studium, & P. Claudius Aquauia, in vitiis virtutibusque discernendis accuratissimus, agens de eo qui defectu obedientiæ labore, illique medicinam facere volens, ita præcipit; *Deum, inquit, in Superiori consulat, nec humanis rationibus & discursibus det locum, quod malum si sensim in animum irreperit, mirum est quomodo omnem obedientia simplicitatem, alacritatem, promptitudinem, denique perfectionem omnem exhauriat. Vnde vigilanter aduertat, vt, quoties tale aliquid suggeritur animo, veluti venenum quam citissime expellat.* Ita quidem ille; sed estne credibile virum in Ignatiana disciplina & sensibus percipiendis exercitatissimum, quædam præter B. Ignatij sensum præcepta statuisse? Absit vt id opinemur, videndum ergo, & diligentius explicandum quam vera ratione consentiant.

Et quidem non immeritò viri illi, nos ab anxia rationum conquisitione deterrent; quippe humanæ infirmitatis conscij, id vnicè cauere debemus, ne vnquam habenas ei facultati laxemus, quæ suapte natura minùs freni patiens, si vnquam liberos impetus vsurparit, vix erit vt quantacumque contentione adhibita in officio contineri possit; sic autem constanter & perpetuò frænanda est, vt libertatis ad libitum euagantis illecebras nesciens, lupatis patere, & quocumque ducetur, eò sine mora sequi assueſcat. Hoc experiri est, in scrupulis, in pauore, & quavis phantasiæ operatione, cui si paululùm cesseris, mirum, quantum illi accedat, quam impetiosè dominetur, & inexpugnabilis euadat. Iam verò, si id verum est, vt profectò verissimum est, latis hinc datur intelligi, quantopere iudicij nostri libertas coercenda sit, & intra obedientiæ limites ita sollicitè concludenda, vt assueſciamus hoc ipso contenti esse quod imperetur; nunquam

Exerc. 5.

Induſ. 5.

quana

quam verò cur imperetur inquiramus; quin imò nunquam ullam de inquitudo cogitationem in animum admittamus. Est enim ingenij humani, ad aliena facta, & præcipuè Superiorum iussa iudicanda, interpretanda, & in dubium reuocanda nostra pronitas, & pruriens cupiditas, cui si vnquam vel semel celsæ importuna deinceps iudicandi auiditas te abreptum, prius iudicationibus immerget, quàm animaduertendi, utrùm ad iudicia feraris, ortum præbeat. Quare ut sapenumèrò longè facilius est, perturbationes seu passiones, ne excitari impedire, quàm excitatas compescere; ita facilius est iudicium nostrum, Præpositorum iussis simpliciter subiungere, quàm illi moderari si semel eorum iudicandorum potestatem ei feceris. Licet enim ad comprobandum, non ad improbandum excurret, uter ea iudicationis vi quam sibi à natura tributam habet, & quæcunque in utramvis partem occurrerint ea versabit, & discrimina conabitur, cumque in alienis factis multa nos lateant, pronioresq; ad acculendum, quàm ad excusandum simus, si quæ in aduersum rationes se obtulerint, in auidius penitusque hauriet, his potius obsecundabit. Quare B.P. Ignatius perfectiora commonstrans, ita quodam loco loquitur; *Sancta obedientia, tum executione, tum in voluntate, tum in intellectu, sit in nobis semper omni ex parte perfecta, cum magna celeritate, spiritali gaudio & perseverantia, quidquid nobis iniunctum fuerit obeundo; omnia iusta esse nobis persuadendo; omnem sententiam, ac iudicium nostrum contrarium, cæca quadam obedientia abnegando.*

p. 6. c. 1.
§. 1.

Videsne quomodo sententiam & iudicium contrarium, non ratiocinationibus, non emendicatis quaquaersum argumentis, sed velit sola obedientia cecitate superari? Hæc est, non solum cura, sed ut plurimum, sola via quæ obtinere possumus. Etenim si quando aliquid Superior iniunxerit cuius ratio non lateat, videaturq; vel præter vires nostras, vel præter vsitatum morem esse, non iam autem commodis, vel naturæ corruptæ sit inimicum: accedat ut vel nos ipso mino sinus paulò alieniore à Præposito, vel illum à nobis auerso esse credamus: quis tantum sibi de sua virtute poterit arrogare, ut affectu contrâ tudente, persuasione iam roborata, rei (ut putat) indignitate irritante, in tanta obscuritate causarum, rationes alias excogitet, quàm eas quæ contra Superiorem faciunt, quòd si tamen aliquæ in iussionis fauorem occurrerint, nonne languide, decolitate, & luxatæ, ac protinus ut fictæ, fallaces, & procul amandandæ repellentur. Sanè quoties acciderit, nos in eiusmodi tempestates incidere, ut & cum affectu, & cum rei asperitate, & cum opinione de Superiore præcepta, eodem tempore sit luctandum; si animæ nostræ utilitati consultum volumus, ne ratiocinationi nostræ fidamus, sed ea valere iussa, simplicis obedientiæ clypeo nos protegamus, vimque iudicio inferentes, vel potius illud opprimentes, id quod iussimus, totis viribus amplectamur.

Hæc autem licet ita sint, non dissentiant ab eo quod B.P. Ignatius commendat hoc præcepto; *Quod Superior mandat aut sentit, defendere semper apud animos nostros studiosè nitamur, improbemus nunquam. Nec enim vltro probandæ iussioni*

argumenta conquirenda praescribit, sed id tantum, non esse eam (quod constat) improbandam, quin potius studiosè defendendam. Quare, si vel ipse noster animus, vel alius de Sociorum numero quispiam mandatum aliquod impugnet, tum verò studiosè, & ex animo, non remissè, non fictè, non in speciem tantum propugnemus: similiter neque disertè, neque obscurè illud improbemus, quod facere mihi videntur illi qui dicunt, Si Superior essem id non facerem; benè est quòd iudicium subiiciendum sit, benè est quòd non propter rationes obediatur. quæ omnes & similes locutiones apertè indicant animum à iubente diuersum, nosque sentire, rem illam à Superiore minimè sic iuberi debuisse.

Commendat etiam B.P.N. vt fallacibus argumentis qua contra obedientiam obiciuntur, prudenter exclusis, ea exquiramus diligenter qua sunt verissima, & pro Superioris facti iunt voluntate. Quibus praeeptionibus non perperam, neque temerè, neque semper vtendum esse, sed ratione & moderatione debita, satis indicat, quòd tunc tantum illas adhibeat quando impetitur obedientia contrariis, vultque prudenter excludi falsas, & verissimas ratiocinationes inquiri; atqui neque prudenter excluduntur quæ periculoso modo excluduntur, neque verissimæ sunt quæ subinde falsæ comprobantur. Quare vt vel modum huic rei praescribamus, vel etiam obscuræ lumen inferamus:

Tria sunt quæ argumentorum firmamentis menti nostræ persuadenda hic occurrunt: Primum est, vt optabiliorem nobis reddamus obedientiam: Alterum, vt huic personæ sedulo parere consuescamus: Tertium, vt peculiarem aliquam iussionem doceamus alacriter esse subeundam.

Quod igitur attinet ad conquirenda quibus generatim obedientiam extolamus argumenta, id non nisi optimum esse potest, & in eum sensum accipi potest, B. Patris postremò recensita praeeptio. Conferet ergo si diligentius reuoluantur illa obedientiæ præclara præconia quæ sacris Literis continentur, quæ quæ S. Patres exponunt, quæ Religiosorum præcorum historiis recensentur, quæ denique magna illa vitæ spiritualis lumina, Patres Platus, & de Paz recentius ediderunt. Quæ qui intentius introspexerit, qui cogitatione, qui sermone sapientius vsurparit, mirabiles in se ipso perfectæ obedientiæ amores excitabit. Cum autem tanta tamque secunda sit huiusce rei utilitas, vnicuique obedientiæ studioso commendatissimum esse oporteret, vt de ea frequentius loqueretur, cogitaret sapientius, & semper aliquid ad eam vnde cumque conquirens, audiendo, legendo, scribendo, meditando in ea proficere conaretur.

At verò vt animum inducamus ad obedientiam alicui personæ, à qua abhorremus, deferendam: videndum vtrum aliqua intercedat ab ipso Praeposito animi abalienatio, quæ si fuerit, tum ea omnia sunt adhibenda, quæ ad curandam eiusmodi affectus prauitatem, & agglutinandam caritatem commendantur solent: quòd si vel sola superbia nostra, vel ex minore alterius affirmatione, ab eius obedientia recessum vellemus; hic morbus partim humilitate, & derelictione

superbiæ, partim curabitur sedula meditatione, quæ obedientiam, non hinc, sed niti Deo, diuinæque providentiæ securitate demonstrat: & magnitudinis vi, id à nobis imperare deberemus, vt libentiùs & perseverantiùs, illius quàm alteri cuiunque pareremus.

Et quando huc prouectus sum, non verebor palàm edicere, quod pro specie horridius, at si penitus pertentetur, humanæ affectioni blandè lenienter sentim irrepens reperiretur, eoque omnibus obedientiæ normam agere, cuius vtile vltimatum. Est autem id, vt qui à Præposito se abhorrere, vel se ad obedientiam de rebus in illis proniorem animaduertit, planè exaduersum contrarietur; ipse sibi persuadeat, imperet, inò ad id se adigat, vt Dei causa, & se laudandi, virtutisque comparandæ gratia, velit omni cura, sibi erga Præpositum, Gnathonis & adulatoris cuiusdam, sed alio quàm isti fine, alio animo persequi imponere, eius partes omnes vigilantissimè exequi, negare cum negante, imitare cum affumante, latari & dolere, cum latante pariter & dolente, omnium Præpositi res laudibus efferre, & denique eius in se affectus voluntateque inducendo perinde atque propriis affici. Qua in re si seridò, si constanter, si perseveranter pergatur, diligenterque (vbi peccatum non fuerit) id obseruatur, perit quid præstiterit, quanto id animi fructu exerceatur.

Ad id denique quod postremum & obscurius erat, de iussis Præpositi ratione confirmandis accedamus. Hoc igitur fieri potest, argumentis vel à ipsa, vel à persona, vel ab obedientia ductis. Si ab obedientia ducuntur probationes, hoc est, si à natura, conditione, præstantia obedientiæ peruntur argumenta, potest id probandi genus ad manum esse, & nullo periculo, inò vno adiumento semper adhiberi: vade potest de illis intelligi quod à B. Patre de Superioris iussis affirmandis commendatur. Si autem rationibus à conditione personæ petitis, tibi ipsi vt iussioni obedias persuadere velis: bifariam rationes eas distinguere possumus, vt sint vel peculiare & propria, vel communes. Communes voco, quæ ex ipsa officij & muneris natura ducerentur, eademque in quemcunque obedientiam persuaderent; cuiusmodi sunt rationes eæ quæ nobis nostrum obediendi debitum, ipsorumque in nos auctoritatem Dei vicariam repræsentant: harum autem ratiocinationum, perinde vt peritum, vniuersè loquendo, utilis & laudabilis est usus. Quod non autem videnter sentire de iis, quæ ex peculiari personæ conditione sumuntur, vt quilibet doctus, quod probus, quod negotiorum gerendorum sit experiens: hinc etiam id creati periculi videtur, ne, vbi his permoueri assueueris, si quando illæ detulerint, Superioremque nactus fueris paucioribus ingenij dotibus præditi, tardior & inuitior ad obediendum accedas: quod vt non accideret, saltem perfectius est his personæ conditionibus permoueri, & obedientiæ, quæ Deo solum spectare deberet, splendore infuscari. Nihilominus eiusmodi in rebus incidunt casus vt necessariò adhibendæ sint, vt quando animum à Præposito

alieniorem velles enumeratione illarum quibus præditus est virtutum ei ad-
 iungere, quando vel propter tuam ipsius imperfectionem, vel propter insitum
 ab eo quod iubetur horrorem, vnde quaque quærenda sunt, quæ viturum sus-
 tentent, & turbatum animum tranquillēt. Eandem in rem valent plurimum
 mediæ quædam ratiocinationes, quæ suadent ex eo quod aliàs non dissimiliter
 nobis accidit, v.g. Sic mihi olim accidisse vt Præpositi mandatis derepentè tur-
 barer, eum imprudentiæ vel asperitatis damnarem; at vbi perturbatio resedif-
 fet, vel causas intellexissem, valdè omnia comprobarim; idem quoque mox fu-
 turum, quare mihi à præcipatione cauendum, fortiterque vim animo inferen-
 dam. Non aliena censebo, si dixerò, graue admodum peccatum Superiori fore,
 si personam hostilem, paternæ quam gerit imponat; imponderet autem, si de in-
 dustria ad aliquem diuexandum, imperij sui modum, & potestatis licentiam
 inflecteret. cum igitur non videatur id de Religioso Præposito probabiliter
 posse sentiri, omnia bono animo imperari credendum est: iam verò si bono a-
 nimo imperantur, cur non à me bono quoque animo paretur? cum enim bono
 animo ita Superior iudicet, quid est cur non iudicium eius, iudicio meo verius
 esse credidero? sentio aliter: sed cuius est potior sensus? falli potest: ergo ego
 falli non possum? obsequium nunquam fallitur: ferè tamen affectus & sensus
 proprius fallitur. Huiusmodi verissimorum argumentorū copiam, sedula nostri
 nostrarumque rerum animaduersione, nobis comparare, & memoriam illis op-
 plere possumus, adeò vt vtrò non vocata occurrant. His autem crediderim ma-
 ximè, B.P.N. Ignacium voluisse & consuluisse vt abundaremus.

Sed vnum etiamnum nobis dicendum superest, nempe de mandatis confir-
 mandis per argumenta, quæ ab ipsius demandatæ rei natura, vtilitate, honesta-
 te, commodo & circumstantiis deriuantur. De quibus vno verbo videri dico,
 His inquirendis, magnique faciendis insuescere, periculosum admodum esse,
 cum obedientiæ tota & solida ratio, non è rebus, sed ex diuinæ auctoritatis in
 Superiore radiantis reuerentia peti debeat; aliàs, nutabunda fluctuet, & pro re-
 rum, euentuum, iudiciorumque instabilitate mutetur necesse est. Quinetiam
 quicunque rerum iussarum & capessendarum rationes anxie perquirat, suo
 potius quam Superioris iudicio se conformare consuescit, nec vsque adeò alie-
 no iussui, quam suæ rationi obsequi videtur. quod vtrumque alienissimum ab
 eo esse debet, qui vel tenui, obedientiæ sectandæ, amore teneatur.

Quia tamen hominum plerique imperfectiores sunt, & sunt tamen quoquo
 modo sustentandi, atque ad quemuis casum variè armandi: quia item aliqui-
 bus, quibusdam in mandatis, & modo adhibito, hoc quoque genus argumen-
 torum vtile esse potest, si neque sapiens, neque nimis, illi quispiam innitatur; &
 ad subitum retundendum tentationis impetum facit; propterea iure credi po-
 test, à B.P.N. etiam hic ipse se confirmandi modus, non fuisse generatim reie-
 ctus. Eo maxime quòd, quando tam varias & multiplices de obedientia præ-

ceptiones nobis quasi testamento legauit, non est putandus voluisse, vt vellas cunctas affectarentur singuli, vel vni soli verlandæ insensceret vnus aliquis, sed potius vt animaduerso quàm copiosa supellestite instructam obedientiam domum nobis reliquisset, eas exercendas partes vterò sumeremus, quæ virtutum nostrarum modulo, naturali propensione, ac diuinorum charismatum memoria conuenientiores, comparandæque perfectæ obedientiæ accommodatiori viderentur. Quod vtinam intercedente te, ô B. P. Ignati, nobis præstet qui obediens vsque ad mortem perstitit Iesus! Peccatos quos in sacra obedientia agere legitimè decerrantes dies extrema deprehendet! In æternum, eorum voluntatem faciet, desideria complebit Deus, qui hic non suam voluntatem secutus, in Deo suo desideria consecrarunt.

C A P V T XIV.

Quorundam quæ cap. primo obiecta fuerant, clarior & expressior consutatio.

Primo huius Commentarij capite, varia quædam recensueram quæ reuerentiam erga Superiores imminuere, & gubernationis fiduciam labefactare videbantur: quorum refutandorum causa, cum ea omnia quæ diximus, allata sint, crediderim equidem omnem ex animis dubitationem esse sublata. Verùm vt ne quis dissimulata potius nonnulla, quàm planissimè refutata, criminari possit, quædam intricatiora seligam, paulò explicatiùs euoluenda.

§. 1. Gubernationis rationem humana sola industria non pendere.

Primum itaque sit, quæ fieri possit, vt tota gubernationis ratio, solius humanæ industriæ vi constare non putetur, quando vnus prudentia & virtus omnia restituit, quæ alterius imprudentia vel ignauia dissipauit?

At hæc obiectio naturam gubernationis obliquat: nec enim eam solo Deo dirigente, nulla industria, nulla humana procuratione constare asserimus, sed se humanæ gubernationi vim diuinam inferere, quasi summam gubernationem rerum moderatricem, euentuumque dispensatricem prouidentissimam: quæ quando copiosis misericordiæ fluentis exundare decreuerit, Superiores præclarissimis ingenij dotibus illustres excitat; eadem etiam si quando in iustus iri exarserit, propter peccata populi, vel Religiosorum teporem, vel ignauiam, regnate facit hypocritam, aut virum ad publicæ rei gubernacula ineptum; sic tamē vt intermicantibus diuinæ prouidentia radiis, frequenter è tenebris lumen erumpat, non relinquat virgam peccatorum super sortem iustorum, quorum aliquos

aliquos velut semen conseruat, ne sicut Sodoma, & sicut Gomorriha depereant; sæpenumerò quoque conatus impiorum infringit, illi que tandem terminum ponit, vbi tumentes fluctus allidant, tanto que gratior, quanto optatior serenitas consequatur. Sanè qui tempestates ab impiissimis tyrannis in Ecclesiam Dei turbulentissimè concitatas, qui diurnas & grauissimas virorum sanctorum, summa cum patientiæ laude toleratas calamitates, penitiùs introspexerit, rem aliam nullam reperiet, in qua tantopere diuinæ providentiæ splendor benignus eluceat. Hoc igitur sit obiectioni responsum; Humanam industriam Superiori, vt suo officio fungatur, adhibendam, Deum que illi quamdiu quod sui muneris est præstiterit, largè affuturum: at, si non præstiterit, vel contra etiam fecerit, non sibi tantè, neque nobis defuturum Deum, qui in fines iustos, errantibus licet intermediis, omnia certò diriget, eo que certius, citius, nobis que iucundiùs diriget, quo plenius & integriùs nos & nostra omnia eius potestati subdiderimus, fidei commiserimus. At in eo frequenter praua nos cupiditas decipit, quòd omnia tunc restitui credimus, cum redditus augetur, cum omnium rerum copia exundat, cum negotia pro voto fluunt; nec agnoscimus, non rarò expedire vt bona dilapidentur ad tempus, domi que res angustior & perturbatior sit. Quòd si de reparanda disciplina agitur; verum est, eius damna ad gubernationis vitia pertinere, neque negamus malos aliquando Superiores existere, sed asserimus ea quæ singillatim præcipiunt aut statuunt, si modò peccata non sunt, in maius bonum subditis cedere, quando simpliciter & obtemperandi mente paratur: quæ verò generatim destruxere, iis reparandis diuinam bonitatem suo tempore vigilare, id que eo promtiùs & perfectiùs curaturam, quo malorum causam, non in alios, sed in tua, maiorum que tuorum peccata retuleris, bonorum verò spem & copiam omnem à solo bonorum auctore Deo purè fidenter que speraueris. Quare id nunquam verum est, res à sola industria humana restitui: namque & illa ipsa industria à Deo est, & in id tempus dispensatur, & auctoritatem, vim ac efficaciam, si quam habet (multis enim hæc ipsa denegantur) ab eiusdem diuinæ misericordiæ largitate sortitur.

§. 2. De erroribus & falsis.

Sed accedamus ad alterum, quo mouentur nonnulli, vt diuinam vim humanæ gubernationi inesse negent, quia sæpenumerò mendacis & erroribus nititur; imò verò pœnas veras ob conficta crimina indigit: quod postremum & mendax pariter & iniustum, quapropter à verissimo & iustissimo Dei penitiùs alienum est.

Possem quidem ex iis quæ antè dicta sunt, id totum quod prima obiectionis parte quasi certum sumitur, fermè semper in simulare falsitatis: nam aut ad agendum, aut ad puniendum sæpè mouentur Superiores occultis verissimis que

de causis, quibus tamen malunt aliquas leniores incertioresque præterere; & si alterutri parti credendum est, quando nam fiet, ut ab inferiore potius, quam à Superiore, veritatem & æquitatem stare putandum sit? Verùm ut ne contentiosi potius quam veraces & æqui habeamur, demus vltro quod exposcitur, an propterea non inest gubernationi vis diuina? inest planè, imò verò tanto mirabilior, quòd ad extremum sibi propositum finem, ut diximus, errantibus licet intermedus, alienorum emendatrix errorum, Deo aurigante pertingit, vt cap. 4. & 5. probatum est.

*Tract. de
orat. 4. c. 3.*

Isaia 53.

Inueterata & perniciosissima nos fallit assuetudo nostra, qua in rerum proximarum, & sensui subiectarum consideratione conuiescimus, neque mentem in primæ summæque rerum omnium causæ contemplationem transferimus: indeque consequens est, ut perturbatè, confusè, inconstanter excipiantur omnia, quæ pacatè, ordine, constanter ferrentur, si ab infimis, vbi omnis perturbatio, ad suprema, vbi tranquillitas, nos reciperemus. Quam in rem appositissime P. Bartholomæus Riccius monet, *bonum esse, assuescere se, ut quidquid in hac vita nobis contingit referamus in auctorem Deum, vt causam agentem primariam: id enim plerique omnes Sanctorum fecerunt; & magnum robur asserre solet omnibus actionibus nostris.* Atque vt videas, quam vniuersè id intelligat, probat flagellatione Christi Domini, de qua (licet imperante Pilato facta sit) Prophetia dicit, *Propter scelus populi mei percussit eum. Ac noris, inquit, quo plus te in hoc meditandi modo exortaris, hoc facilius ac promptius te in omnibus negotiis tuis, prosperisq; & aduersis casibus, respecturum in primam causam, cum magno tuo solatio, & animi quiete.* Id ipsum exemplo Iosephi commendat, qui ea cogitatione in angustiis fortior, & ad condonandum fratribus fait pronior. Ita Riccius, cuius viri docti, & in spiritalibus exercitatissimi, auctoritatem adhuc propemodum spirantem ideo referre placuit, vt ne putes earum cogitationum vsum antiquatum, & ad veteres eremitas amandandum, & abducaris errore quorundam qui doctrinæ vanæ blanditiis & subtilitatibus irretiti, suis artibus, astutisque consiliis omniatribuentes, perpetua in perturbatione volutantur, à solius Dei gubernantis potentia manu non pendent, eum solum non respectant; in prosperis, Manus nostra, inquit, nobis fecit hæc omnia; in aduersis, errorem, casum, malevolentiam, iniuriam, fraudes, pleni irarum & indignationis inculant. Sed ea sint à me dicta potissimè de erroribus qui videntur, vel, vt verius loquar, qui videri possunt ab iis, qui se parum vident, & videndo non vident.

Nam quod spectat ad pœnas, quæ aliquando falsum ob crimen imponerentur, clarissimè responsum est vbi de Paphnutio, & S. Petro Martyre dictum fuit. Iis tamen addiderim, præterea id sedulo pensandum esse, fieri quidem posse vt criminis falsò nobis ab hominibus affecti pœnas luamus, & nihilominus veras ac iustas, leuioreque quam pro meritis luamus. Est id paternæ & amantissimæ benignitatis diuinæ, quæ cum occulta, & probri plena, ac, si salui futuri sumus, necesse

necessariò puniendâ multa nostra flagitia norit, huiusque nostri qualiscunque honoris amans, nolit (quod facillè possit) in vulgus ea profertur, sed occulta conseruare; permittit causarum secundarum connexiones varias, & hominum opinionones sic implicari, vt dum falsum, at leuius crimen nobis impingunt, vera nostra & grauiora crimina puniantur, accedente non exiguo ad æquius perferendum stimulo, quòd conscientia nullius mali conscia tranquilletur, mercesque ob patientiæ in calumnia meritum cumulatior speretur. Sin obiicis, id abs eo qui infert non spectari; molestus es, & cuius in cerebellum nihil penetret: totiesne eadem oberrandum in chorda, cur potius in ferientem hominem, quàm in sanantem Deum oculos conicis? sempiternus te affectus in transtuerlum, nunquam in directum ratio abducat?

§. 3. De artibus humanis & intercessionibus.

Sed est tertio loco quo plures offenduntur: Vt quid enim (nonnemo infrensens obiicit) me & mea Superiorum prouidentia committam, quando panè omnia video humanis affectibus confici? nonne hos & illos ad ampliorem doctrinam comparandam emitti, variis muniis exerceri, dignitate decorari video, quia Superiori blandi, cognari, affines, eadem patria oriundi sunt, quia fauorem aliquem qui auctoritate polleat nacti sunt, quia prosapia nobiliore orti, commendatione maiorum, aut sæculi diuitiis præ reliqua turba sustolluntur?

Ita fortè reperias qui hoc quasi trabale telum aduersus obedientiam totis lacertis intorquent, obmurmurant, exempla denarrant, imperfectiores exterrant, eosque fiducia in Deum, sinceritate in Superiores miserè despoliatos, curis, angoribus, factionibus, suspicionibus, ambiendo humano fauori, incertissimis iudicij sui prouidentis, & id genus perturbationibus temerè excrucianos tradunt. Quanto facerent consultius, iuani si miselli deplorarent cecitatem, arrogantiam detestarentur, prauitatem corrigerent? Itane verò? ista etiamnum promagnis computabit Religiosus, quorum contemnendorum causa ad Religionis castra conuolatur? nonne latere, nesciri, solam Dei voluntatem exquirere, crucem amplexari, nihil in creatis magnum ducere, aspernari quæ vulgus admiratur, fortiter naturæ propensionibus ire obuiam, nonne Religiosum hoc est, hoc solum Religiosæ ambitioni, vt humilitatis ambitiosa sit, relictum? nonne quantum inde recesseris, tantum tibi de tua perfectione decessisse comprobabis? At, inquis, quis ita se deiici, quis alios ingenio, ætate, ceteris naturæ dotibus inferiores, non sibi coæquari, sed præferri, æqua mente patietur? Quis? quis nisi Religiosus? qui timorem Domini & humilitatem, vt sanctè dixit Sanctus, reciprocante halitu, quasi aërem, respirare & spirare debet. Sed in istas, Doctrina & munia quæ auctoritatem conciliant, non patum ad Dei gloriam illustrandam conferant. Scilicet, hoc erat, quod doleres! nesciebam, tam ardentis zeli

homi-

Ab. Paffor
in vit. SS.
PP. lib. de
humil.

hominem! excute sodes, animum, & deprehendes superbissimæ mentis sanctorum speciosi boni simulatione latitantem; vnicusque, si sapias, in Deum tuum crucifixum oculorum coniectus noxium humorem arefaciet, & in humilitatem subiectioni Religiosæ decoram bellè contrahet. Nostin' vbi Dei ingens gloria, tuum ingens bonum lateat? in eo planè est, vt quod semel Deo obtulisti de toto holocaustum, perpetuò integrum illi dedicare pergas; sin tibi inde aliquid subriperis, & curæ tuæ te adscriperis, iniustus es, rapis alienum, Deo sacrilegus. quid ergo? qui te, tuæque omnia, doctrinæ, ingenij, naturæ talenta Deo tradidisti, qui curanda, promenda, recondenda arbitrio Superioris commisit, id summum, id præstantissimum reputa, si scias, nescias; negotieris, orieris; lateas, prodeas; vt cunque Superiori, hoc est, vt cunque Deo tuo, duci optimo videri fuerit. ô, si te æternitati, non tantum natum, sed Religiosum factum esse meminisses! nonne ea sola magna & maiora crederes, quæ magis ad æternam faciem gloriam? ad illam verò magis conferunt, quæcunque dignius virtutem excedendi occasionem præbent, Dei que gratiam vehementius conciliant. Quam fuleris, cum id doctrinæ, concionibus, munitiorum officiis consequi credis? non te ergo; cum ea nobis diuinitus obtigerit, maioris æternæ gloriæ leges esse possunt; at quoties etiam damnationis exstiterit! quoties Religioni sibi que perniciosæ fuere, qui si doctrinæ & auctoritatis caruissent, intra modestiæ limites vixissent. Ergone violentus in ea irrues, quæ te perdant & crucient æternum? demus tamè vt non perimant, at de altiore gradu gloriæ deficient: quippe pro certo habeo, vnicum illum doctrinæ, (quam comparare poteras) vel existimationis maiorem contemptum, quem propter Deum exerceas, tanti apud Deum esse meritum, neque doctrinæ, neque auctoritatis, quæ nihil multis fructibus, eum vnquam æquare possis. Habet hoc honoris, diuitiarum, voluptatum resectio, vel potius integra abdicatio; plurius vt sola faciendæ sit, quam te centies in illis adhibita moderaciones, vsusue laudabiles. Lege quodam loco apud Raderum, quomodo duorum monachorum alter, thei auti fortuito oblatus solo contemptu, dum gè sit supergressus alterum qui eo collecto, prudenter & piè xenodochia bonis legibus instituta fundarat. Ergo si Superioribus propter Deum acquiescas, & in hac vita detritum scientiæ æquo animo feras, si nihil honorum, nihil auctoritatis apud homines quæras; crede mihi, frater, magnum tibi sapientiæ donum, magnus auctoritatis cumulus apparatus à Iesu Christo in cælis. Consolamini, consolamini, propter Deum simplices, doctrinæ auctoritatis que contemptores, Pater cælestis qui videt in abscondito, ille centuplum eorum in vita æterna reddet.

Sed quoniam hinc hominum fauores, non Dei sapientiam præsidere putas; intendende quæso mentis aciem, & in ea quæ à sensu remotiora sunt contuere: Commoueris quòd nonnullos indulgentius haberi, ad maiores honorum aut dignitatum gradus promoueri vides; & ô humanas fraudes, humanas artes, vbi que

Parte altera
Virid. c. 5.
de Styl.
Edess.

que dominari, omnia posse turbulentus exclamas! tranquillare; amabo! quid loquaris perpende. Itane verò; sine Deo ista fieri autumas? at diuina, inquis, prouidentia humanis artibus detorquetur. Verum, id non interrogo; hoc responder qui effugium captat; hoc vnum quero, istane sine Deo fieri, istane diuinæ prouidentia perspicaciam latere credis? sed quia id tantum impietatis exhorres, scire velim quid causæ putes, cur ea vel voluerit, (vt plurimum enim peccata non sunt, & ea voluisse potuit) vel permiserit Deus? dices forsan, tibi esse occultam; sed quero, an & protius iniustam? quod quia dici sine blasphemia non potest, iustam fateri necesse est, at, si iusta est, cur non æquis animis excipis? Præterea, nunquamne aliquos vidisti, & fortassis vnus ex illorum numero es, qui humanis artibus & fauore niterentur, vterentur, aburerentur; cumque neminem sibi satis conciliare potuissent, multa in alios exclamarent, illos omnia fauore consecutos criminarentur? non vidisti, quibus nihil ex voto procederet, quorum omnes conatus caderent irriti, quamuis & multos sibi conciliare possent, & ad id quod maximè volebant, multa opportunitate abundarent? adeo videlicet, occultis viis, potentissimè quosdam ne sustollantur arcet Deus. alios etiam non vidisti, qui quò tendebant peruenerunt, at vel breui, vel tanto post, grauiore lapsu corruerunt: an ergo bonum tuum est, doctrina sacerdotium, honor, dignitas, & non solus Deus? iam perpende attentius, iustissimas dispositioni & ordinationi rerum subesse causas, Deo soli notas, quibus par sit vt omnis nostra ratio subiugata consentiat: certè non aliunde quàm ex occultis Dei iudiciis oritur, vt hic vel ille in fautores eos incidat, qui illum altius prouehant; non aliundè fit, vt causarum connexiones animorumque motiones ita temperentur, vt (quod non rarò miramur) duobus idem bene & industriè agentibus, vnus conatum omnem aduerso, alterius secundissimo fauore prosequamur; huic feliciter cedat omnis, etiam temeraria aggressio, alteri omnia, etiam prudentissimè excogitata, infortunatissimè cedant. Nonne in idem est, quòd quantumuis gratia & ingenio nonnulli polleant, iacent tamen, neque commodè valent erigi: triumphant alij, & per hominum ora volitant, qui nihil solidæ commendationis habent. Plurimæ quidem rationes probabiliter possunt excogitari, quæ autem vera sit & potissima, diuinæ mentis est nosse hæc semper verissima, Voluisse Deum vt sic doceremur, Vanitatem vanitatum, & omnia vanitatem esse; cumque neque veris meritis, neque solida virtute proueniant, non esse res istas pro magnis & præclaris ducendas.

Sed & cur non magno bono tuo fieri credis, vt illis careas, quæ quia plurimis causam ruinæ præbuerunt, tibi quoque eandem præbere posse, imò præbituras fuisse, ideo debes opinari quòd videas, indulgentissimum, qui te tuatque utilitates penitus perspectas habet, patrem Deum tuis cupiditatibus obstare? Hinc planè sapienter ille qui Deo gratias agebat, quòd ingenij naturæque dotibus minùs esset instructus, vt sic sua se tenuitate inuoluens, non plus saperet

Aaaaa

Them. 2
Camp. 1. 3.
quàm c. 12.

quàm oportet sapere, sed saperet ad sobrietatem, securusque rationem de paucioribus redderet, cui fuisset pauciorum cura demandata. Et verò de te quid conieci possit aliud, quàm quòd speciosiore sorte auctus, te ipsum honorum illecebris inretitum, perditum ires? etenim, qui non obtentis obmurmurat: nonne consequens est ut superbiat acceptis? certè, prodit animum ambitiosè ad magna ardentem, doctrinam & honores ut ingentia bona respectantem, seque (quod pessimum est) dignum reputantem, in quem aequè vel etiam magis quàm in alios ista conferantur. Annon igitur, si te sic affectum sentis, & verò sentire debes quoties ista concupiscis,annon,inquam,quòd alij tibi praeferantur gaudere, Deoque superbiã tuam sananti gratias agere debes? At moueris & submurmuras, quòd alij nihilo meliores, ista consequuntur: verùm si se ipsos perdunt alij, an te quoque cum ceteris voles perditum? cur tantopere alios circumspicias, hominum vana iudicia tanti facis, & incertissima sermonum aura, opinionum que varietate perturbaris? Redi ad te ipsum, Deum solum consule, solam salutem tuam cogita, & magna animi tranquillitate cognosces, in rebus humanis, non casum, non artem, non dominari fortunam, sed, vt Propheta loquitur, *Dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud: iuxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cali, quàm in habitatoribus terra: & non est qui resistat manus eius, & dicat ei, Quare fecisti?*

Daniel. c. 4.

Scio hunc esse quasi nodum Gordium qui nequaquam solui posse videatur: adè se hìc multi inuoluunt: quem vt densius innectant, altiùs etiam à philosophis argumenta repetentes, aiunt, ex debiliore, non ex potentiore causa parte effectus esse iudicandos, quippe faciliùs imperfecta & praua, quàm perfectiora & rectiora deriuantur; hinc ex necessaria, & (vt loquuntur) contingente causa effectus oritur non necessarius; ex immortali & mortali quod conflatur, ex animo nempe & corpore, mortale est; ex negante & affirmante propositione complexio quæ colligitur, negans est. Similiter igitur, inquiunt, cum præscripta Superiorum, vel affectu, vel quacunque humana arte in aliquam partem fluctantur, vt ab hominibus, non vt à Deo accipienda erunt. Cui argumento vt dilucidissimè satisfaciam, Omitto id apertè S. Scripturæ locis cap. 2. allatis repugnare, quare nec verum esse posse: sed vt funditus omnis ex animis dubitatio euellatur, Dico, id quod primò in argumento sumitur esse falsissimum, iis in rebus omnibus quarum sibi peculiarem procuracionem sumpsit Deus; eiusmodi autem est gubernationis cura: hoc verò ideo fit, quòd in Deo tanta vis ad agendum inest vt omnem alterius causæ defectum supplere, vim omnem contrariam elidere, & quæ volet possit inflectere. Cuius rei clarissimum in rebus ad fidem Christianam spectantibus exemplum habemus: etenim in legitimis approbatisque Conciliis, sunt ea necessariò credenda quæ definiuntur, nec tamen eorum definitarum rationes quæ proferuntur, eadem necessitate credendæ sunt: cuius non alia est ratio, quàm quod profitemur, ad sententiam eiusmodi complecten-

plectendam inductione quidem humana persuasos, at vt definirent occulta vi impulsisse Deum, humanæque inductioni auctoritatem inseruisse diuinam: quod nisi voluisset, cogitationes eorum in alia omnia conuertisset. Non secus existima, humana in Superiorum inductione, vim tamen ad eum, qui consequitur, effectum, esse diuinam. Elucet illud idem in ea quam (vt Nazianzenus loquitur) *sanctus quidam olim surripuisse dicitur patris benedictione, patre per cibum ac oras. 1. pilorum signentum circumuento, ac re bona, non bene per insidias captata.* Certè si patris verba mentemque spectamus, nequaquam illi benedixit, quippe sciscitatus fuerat, Quis es tu fili mi? iterumque, Tu es filius meus Esau? Et vbi non eum, sed alium fuisse audit, expauit stupore vehementi, & vltra quam credi posset admiratus est: ergo non Iacobo, sed ipsi Esau, in quem mens patris ferebatur, vtilia esse illa vota debuerunt: at aliud sensit Isaac, Benedixi, inquit, & erit benedictus; quippe diuinum aliquid suis se verbis insinuans perceperat. Quid est igitur quod pronus ad humana, tam ægrè diuinæ prouidentia vim agnoscere videris? times forsitan ne tot rebus prouidendis fatiscas, multitudine obruatur, minutiis offendatur? non vides in tam multis, miris & improuisis casibus, agnoscendam quæ se vbique prodit prouidentiam? audeſque de illa dubitare, sine qua homo non esses? quid enim? an potuit vlla seminaria vis animum tibi procreare? iam si in eo tam frequente tantæque arduitate effectu, id agnoscis, fatere quoque in ceteris, quæ licet singula minus necessariò illam summam Dei potestatem exigant, exigunt tamen singula prouidentiam singularem, ne si incertæ hominum prouidentia relinquantur, vbique à fine suo exerent. Maneat igitur fixumque sit, non humanis artibus, commendationi, intercessioni, sed diuinæ, quæ efficaciam illis concessit, prouidentia effectum esse tribuendum. Quid igitur, inquires, si à Deo istud est, quid est quod postquam pessimè (vt assolet) ista omnia cesserint, eos puniri dicimus, quod à diuinæ prouidentia recto ordine, ad humanum astum deflexerint? ô hominem nimis in sententia sua pertinacem? annon à te, quod volo, asseri apertè vides? Ecce enim propterea id ipsum quod homo optabat, fieri voluit Deus, vt per id quod malè appetierat, bene puniretur: & re vera, homo quidem ille à diuinæ prouidentia fiducia, suæ voluntatis errore deflectere nitetur; sed sapientissimus Deus admirabili suæ prouidentia vi, sic eum continuit, vt quasi errandi facultate concessa, errorem errore puniens, nouâ prouidentia punienti viam sterneret. At, inquis, quid si nō malè cesserint artes? Quid scis, ô homo, quid in æternum iudicabit Deus? quid bene, quid malè denique cessurum sit? tu vide vt bene agas, & bene tibi erit, sed & cur tã opere alios de humanis artibus incusas? crede mihi, qui toties istas crepas, istas ceteris obiectas, totus in illis habitare, illas egregiè videris factitare: ausim vel iuratus affirmare, nō aliam quam ex illis tibi spem esse, qui non nisi ex illis, bene ceteris esse censes. ô vanissimâ & Religioso viro prorsus indignâ cogitatione! Per Deum immortalè, inde te confestim recipe, Deoq; soli vt decet confide & viue.

§. 4. De damnis qua putantur emerfura.

Postremum, & vt plurimum, cùm in rem ventum fuerit, molestissimum est, Quomodo cum Superioris iussione consentiet atque conspirabit is cui rei cuiuspiam cura demandata est, viderique secus imperari quàm rei vtilitas exigat, vt si præceptori, vel scholarum præfecto, Superior iubear quæ sunt præter scholasticæ disciplinæ bonum, & discipulorum commodis officiant, vel si prohibet id fieri quod magnam illis vtilitatem importaret: si concionatori is concionandi modus prohibeatur qui populo placet, is imperatur qui displicet, nec difficile est vt similia vsus quotidianus exempla nobis suggerat.

Cùm autem hic præ omnibus ex prudenti circumstantiarum æstimatione peccent, pauca tantùm breuiter & vniuersè dicam, è quibus singulorum, quæ fortè euenient, diiudicatio sumatur. In primis autem animaduertatur varietas eorum, quibus aliquid sub aliquo Superiore demandatum est: qui sunt dupliæ generis. Horum primi, sui immediati Superioris merum instrumentum sunt, nec vllam habent agendi vim propriam, quam non à Superiore immediato sumant mutuam: quales sunt propè omnes quos passim *subordinatos Officialis* nuncupant, & quicumque Religiosa munia obeunt. Pauci alij sunt qui ex ratione commissi muneris, auctoritatem propriam ab immediato, & per immediatum non deriuatam possident. Qui autem tales sunt, possunt, ac etiam cùm id muneris commissi vtilitas poscit, debent potius ad rectam sui muneris administrationem, quàm ad Superioris immediati sensum inueniri: id quod propterea quòd in officio sibi credito, non ab hoc, sed ab alio mediato pendet, eiusque voluntatem & desideria toto conatu explere debent: sic tamen, vt magna semper humilitate, reuerentiæ erga suum Superiorem exempla præbeant, modesteque & sensim ab eo quod non rectè voluerit declinent: quod nō fecerint, pessimo exemplo omnem Religiosam disciplinam labefactant, pacem perturbant, ordinem euertunt, cui vt consultum sit, hi sunt quibus maximè incutitur. De quibus quia rariores sunt, ista sufficiant. At vero in ceteris, si quando inferior officij sibi demandati rationes & vtilitatem apud Superiorem vrget, ac nihilominus Superior id omitti vel fieri iubet, quo omisso vel factò graua præiudicantur incommoda, si præceptum absque peccato potest perferri, nec est ad manum qui id auertat, obsequendum est: quippe neglectæ obedientiæ, quàm cuiusuis alterius damni grauius est incommodum; sperandumque fore vt vel arceat, vel præuisa incommoda refarciat Deus: quod si minimè fecerit, maximus tamen eius cultus, & præ omnibus illi gratissimus est obedientia, quam roborari, & eiusmodi nonnunquam casibus exerceri cupit.

Atque vt etiam hic ab insidiarice iudicij nostri prauitate caueamus, diligentissimè nobis inuigilandum est, ne vnquam affectum nostrum quod libri 2. c. 4. latius

latius monui, ita in rem aliquam ferri sinamus, vt eam sui ipsius causa diligamus, sed tantum eatenus quatenus ab obedientia nobis commendatur: semper obedientia sit nobis modus, sit norma, sit finis, quiduis quouis modo diligendi, curandi, promouendi, conseruandi: frequenter id nobis ipsi repetamus, id inculcemus animo; nihil nos hic, nihil istic nisi obedientiam querere: sumere, ponere curam omnem, separari, adiungi, reuocari, auocari, vt cunq; obedientia placuerit: ceterorum nihil ad nos: interim q; dum in rem aliquam ex obedientia affectu & iussu incumbimus, caueamus ne illecebrosa natura se insinuet, amorisq; nimij blanda vincula firmiter innectat. Quapropter vnumquemque certo statuere oportet, non huius aut illius rei auctus & incrementa, non discipulorum doctrinam, non concionum frequentiam, non animorum salutem, sed perfectam cum diuina voluntate consensionem, qua in obedientia sita est, nobis esse pro fine propositam: nihil nos in discipulos, aut in aliam rem vllam iuris obtinere, nihil esse quod nos tangat, nisi eatenus, & eo modo quo Superiori libuerit: si quid iussum fuerit quo felices rei progressiones retardantur, non magis id detrimentum curemus, quam si in regionibus distitis & a nostra cura semotis accidisset. Et re vera, sub illa profectus & honorifice peragendi negotij specie, frequenter nimius latitat amor nostri: approbationes hominum, & vanas laudes ambimus, veremur ne minore quam ceteri apparatu vel applausu docuisse, scenam instruxisse, conciones habuisse videamur, ideoque per simulationem tuendi honorem communem, vel cupiditati nostrae, vel ambitioni patrocinamur, quasi si in eiusmodi splendore, vel affectatiori apparatu Religionis existimatio ageretur. Inanis hominum adeone demissio de nostra Religione, vel de nobis ipsi tam magnifice sentimus, vt nostra aliqua derisio vincula, vel deiectione, continuo putemus de totius Religionis vel Collegij existimatione detractum: firmioribus haeret illa radicibus; quamque Dei dono, certisque virtutum exemplis consecuta est, eandem intemeratam seruet auctoritatem, quam diu illidem vestigijs perget insistere, quod formidandum magis videtur, hoc est; ne, si pro sincera humilitate, verisque Maiorum virtutibus, adumbrata quaedam fucataque succedant, tunc sensim honorem ignominia, venerationem contemptio excipiat. Quod ne accidat, anxius, de negotiorum exitu, curas mutamus, obedientia, Deoque per eam nos regenti, omnia committamus; in inuio viam faciet, deoque omni laqueo euellat pedes nostros.

En quantopere sincera de diuina prouidentia fauore fiducia, cuiusque ad perfectam obedientiam contendenti est vnde cunq; necessaria; vt sua omnia prospera & aduersa, bona & mala, magna & minima, credat sibi inde prouentura, moderanda, & in fines optimos dirigenda: vereque & sincere cum Propheta dicere possit, *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Nonne sui, suarum virium, actionum, munerum, vitae necisque curam omnem, domino resignat iumentum? o vtinam ita nos Deo, ita Superioribus! tunc verè vel cada-

ueris, vel scipionis, vel statuae paradigma obediendo expresserimus: tunc id quod Propheta subiungit, Deo bono concinemus, *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & verò quàm id mihi salutare fuerit sentis; tu enim Domine, cum gloria suscepisti me.* Quare, hoc expertus, quid mirum si subito exclamem, *Quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Defuit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum. Quia ecce qui elongant se à te tuaque providentia, peribunt, perdes omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: non carnem, non altum, non fraudes, non fauores potentum & magnatum, sed Dei mei providentiam adamare, ea sola fretum esse, in eam sperare, mihi bonum & optimum est. Illudunt cetera, & in fumos abeunt, at prouida Dei bonitas manet in aeternum, & sibi confidentibus bene facit in aeternum.*

Ille verò, qui se totum diuinæ providentiæ voluerit fidere regendum, caueat in prius ne fortem amuletur alienam, vel tempus Deo quali præfigat: sunt enim qui quosdam intuentes statu leniore felicius prouchi, & in altum ridere prosperitate euehi, se quasi deteriore fato natos lugent, & graui fortis pondere pressos gemunt: at qui animaduertere debent hereditatem ad quam in initio festinatur, in nouissimo carere benedictione, non ea esse meliora quæ blandius arident, multis aduersas admodum & exitiales esse res secundas, eamque prudentis gubernationis humanæ, nedum providentiæ diuinæ, iustissimam esse legem, ut non nisi per infima deueniatur ad summa, neque dulcia mereatur qui nunquam amara gustauit, nec maiorum censeatur esse capax, qui in paruis nedum se probare potuit. Importuna & retundenda sunt illa quorundam desideria, qui gestiunt protinus erumpere; prius propè docere quàm discere, imperare quàm parere volunt. Sed & quosdam reperias, qui cum aliquam diu afflicti iactati que patienter persisterint; tandem abiecto diuinæ providentiæ clypeo, à bene coeptis resiliunt, ad humanas artes, intercessiones, locorum & officiorum mutationes ac apologias, à patiente silentio, & caelestis opis expectatione transfugiunt. At qui perseveratum oportuerat, & si paucillum adhuc toleratum fuisset, paratum Dei auxilium adfuisset: at propterea defuit, quia qui cor intuetur, & quem nullum latet secretum, is vidit patientiæ illius imperfectum, & quantum ipsamet fauentioribus rebus obicem poneret. Armemur ergo patientia, omnem rerum in speciem magnarum cupiditatem amputemus, ad virtutem, atque ad eò ad ipsum Deum, sensim, & magno nisu sic tendamus, ut nos diuinæ providentiæ fiducia subnixos, nulla temporis diurnitas, nulla profectus lentitudo, vel rei difficultas exterreat, quin cuiusque rerum euentui & progressioni placidissimè acquiescamus, memores verbi quod sapientissimè iudith, *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei? non est nostrum, vel nosse, vel præfinire tempora, quæ in sua potestate posuit Deus, cui mille anni sicut*

vnus

cap: 8.

vnus dies ; & quamuis longum tempus , æternitati breue est.

Ad quam beatam æternitatem vnã hęc sancta nobis obedientia proficiat , cui retinendæ , & grauioribus quæ in ea occurrerent , incurfionibus propellendis hęc scripta sunt. Faciat bonus Deus vt ad maiorem suam gloriam, obedientium pacem cedant.

Liber Collegij Soc. Jes. Paderborn. A. 1624

F I N I S .

